TRACTATIO CHIRURGICO-MEDICA PROPONENS QUÆSTIONEM AN VARIOLAS IN NOSTRIS REGIONIBUS INOCULARE SIT...

Joseph René Marie Joachim

TRACTATIO CHIRURGICO-MEDICA

PROPONENS QUÆSTIONEM

AN VARIOLAS IN NOSTRIS REGIONIBUS INOCULARE SIT CONSULENDUM

AUTHORE

JOSEPHO RENATO MARIA JOACHIM

Emerito J. V. C. Phil. ac Medic. Doct.

ARGENTORATI,

Sumptib. Jon. Dan. Dulseckeri, Bibliopolæ. 1759.

Totius Operis Conſpectus.

Ingreſſus.

§. *I.* *Traditur variolarum naturalium deſcriptio ac diviſio.*

§. *II. III. IV. & V.* *Oſtenduntur periculoſiſſima illarum phænomena per quatuor periodos Scil. Invaſionis, Eruptionis, Suppurationis & Desquammationis.*

§. *VI.* *Aſſignantur horum phænomenorum cauſæ, quæ ſunt triplicis generis: Naturales, non Naturales, & Præternaturales.*

§. *VII.* *Methodus Variolarum naturalium, tam Curatoria, quam præſervatoria examinatur, & utriusque demonſtrantur defectus.*

§. *VIII. IX.* *A Variolis naturalibus ad artificiales ſive Inoculationem fit progreſſus, traditurque illius Hiſtoria usque dum Conſtantinopolim fuerit propagata. De hac dein agitur.*

§. X. *Quomodo in Angliam & alias Regiones transmarinas penetrârit.*

§. XI. *Quid de illa Galli, quid reliquarum Europæ Provinciarum incolæ sentiant, docetur.*

§. XII. *Clara & distincta datur inoculationis idea.*

§. XIII. *Variæ inoculandi apud Chinenses, Circassios &c. Methodi ponderantur.*

§. XIV. *Methodus Anglicana & Genevensis tanquam omnibus aliis præferenda laudatur.*

§. XV. *Quomodo pro Inoculatione præparanda, & toto morbi decursu tractanda sint Corpora, ostenditur.*

§. XVI. *Summa diversitas symptomatum variolarum artificialium & naturalium per experientiam probatur & rationem.*

§. XVII. *Variis ex Religione, Experientia, Ratione, & Politia desumptis respondetur objectionibus.*

Ingref-

Ingreſſus.

Quæſtionem, quam in præſens diſcutiendam aſſumo, maximi eſſe momenti, difficillimam, delicatiſſimamque, nemo eſt, qui non videat, & vel ideo nonniſi ſummis cum cautelis, maturo cum judicio, non tam à Tyrone Medico (de quo optime quadrat illud Divi ſenis noſtri: *Experimentum periculoſum, judicium difficile*) quam ab illo, qui graviſſimo authoritatis pondere ſuffultus, experientiâ diuturnâ eſt exercitatus, decidendam, quivis facile perſpiciet: Labaſcunt quoque vix non ſub tanti operis magnitudine impares oneri ferendo humeri; Quo enim cunque dubios verto oculos, ſcopulos video & charybdes, é quibus cum laude emergere, in tanto virorum eruditiſſimorum, in utramque partem acerrime diſceptantium diſſenſu, fere eſt impoſſibile. In negativam igitur coecus ruam? Aſt ſeri

ſunt ; inquient conatus tui , captâ jam Troja inutiles fers Priamo ſuppetias, ſtat firmo ſatis talo contra te integrarum Nationum ſefe tibi opponentium authoritas, quæ explosâ tuâ in ſcholarum tantummodo angulis & ſordido antiquitatis pulvere obſoletâ ſententiâ, ratione convictæ & experientiâ, variolarum tranſplantationem in aularum etiam regiarum luce ac ſplendore tentatam, probatam, & approbatam, inter tubas & tympana civitate jam dſu donatam, inflatis, ut ajunt, buccis deprædicant. Affirmativæ vis patrocinium ſuſcipiam ? Actum ſaltem hiſce in Regionibus videbor agere, dum contrarium ampliſſimis exercitabiſſimorum & experientiſſimorum in arte ſalutari magiſtrorum deciſum eſt præjudicium ; in ipſo Apollinis fano, in ſcholis medicis fatalis jam lata eſt ſententia : Ergo Variolas inoculare nefas. Aſt quidquid ſit, ſeſtinemus ſiente, non audacter quippiam enuntio , terrent limina, non vero ventatis lauro præmunitum. Excutiam proinde, quantum in me erit , placide omnia graviſſimæ hujus quæſtionis momenta, nativamque thematis controverſi faciem pro modulo meo ita exhibebo, ut ratione ſimul & experientiâ motus Variolas in noſtris Regionibus per Inoculationem propagandas quavis mecum

cum poſſit concludere. Quod ut rite fiat, colligam nunc in unum ea, quæ in probatiſſimis, qui de hac materia ſcripſerunt, Authoribus, reperire datum eſt, usque omnibus, quantum fieri potuit, in bonum ordinem redactis & amplificatis, mea quoque qualiacunque adjiciam hac de re ſenſa, non quidem vanus levis gloriolæ anceps, ſed ſolo ſalutis humani generis ſtudio tractus, & opis ferendæ deſiderio incenſus. Te interim L. B. de hiſce ſtudii mei medici primitiis, quidquid placuerit, judica, & vale, cogitaque veriſſimum eſſe illud:

Carpe cuique ſuus, non eſt imitarier omnis.

§. I.

Priusquam ad ipſum propoſitæ quæſtionis cunomenon, ad Inoculationem (a) ſeu Variolarum artificialium dictarum communicationem paulo propius accedam, ante omnia quædam à ſcopo meo

A 3

(a) Juvat hic in limine ſtatim majoris charitatis gratia brevem variolarum artificialium dare deſcriptionem. Variolarum artificialium communicatio, ob analogiam inoculatio dicta eſt operatio chirurgico-Medica quâ materia variolarum non malignarum ex corpore Variolaſo in aliud ſanum, bene valens, & prævie præparatum transfertur, ſimilesque Variolis naturalibus puſtulæ in illo excitantur.

meo haud aliena de Variolarum naturalium indole præmittenda exiſtimo, ut rite inſtituta utriusque comparatione magis vel minus in humanum genus ex his illisve redundans periculum appareat manifeſtius. Sub Variolarum ego naturalium nomine intelligo cum Excellentiſſimo SACHSIO, Præceptore pio ſemper cultu devenerando: *Puſtulas corporis ſuperficiem plus minusve occupantes, cum febre acuta, inflammatoriis utplurimum affin, conjunctas, à ſanguine, ſero, & lympha corruptis, in minimis vaſis lateralibus & excretoriis ſtagnantibus, originem ducentibus* (b). Sed, cum mire admodum lu-

dat

(b) Prudenter monet Oratorem Principem Ciceronem l. 1. de Offic. omnem à ratione ſuſcipiendam de aliqua re inſtitutionem debere à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur. Auream hanc ego lubens ſequerer regulam in præſenti tractatione, niſi immortalis Anglorum Hippocrates, Ingenuus Sydenhamius de morbi eſſentia diſſerens Op. Med. c. T. 1. pag. 84. Edit. Genev. ob naturalem & communem ſibi cum reliquis hominibus intellectus defectum naſcere illam plane ſe fateretur. Nolim proinde exactam à me ad ſtructuram Logicæ regulas exſpectetis vitalis illius definitionem, cujus tam lata patet natura, quodque tantam in ſe continet ſymptomatum diſcrepantium ſyndromen, ut arctioribus definitionis cancellis comprehendi haud poſſit. Brevem ſaltemmodo Variolarum exhibeo Hiſto-

dat in morbi ejuscemodi generatione natura, ut pro majori minorive nunc sanguinis, nunc seri, nunc utriusque spissitudine & corruptione, pro varia aliaque corporum diathesi, pro malignioris aut benignioris aëris constitutione non solum Variolarum indoles, sed & decursus, ordoque mutetur, cum accuratioribus Pathologiæ sanioris scriptoribus in varias Variolas classes arbitror dispescendas. Primam sub *verarum*, sub *spuriarum* titulo comprehendo alteram. *Hæ* serosâ magis præditæ materiâ, mitiori utplurimum stipatæ febri conspiciuntur. *Illæ* sanie vel pure refertæ, acutæ plerumque inflammatoriæ febri occurrunt desponsatæ, quæ si distincta inter sese in exteriori cutis cortice efformant spatia, *discretæ*; si nulla fere relinquunt intervalla, sed ita potius sibi exstant implicatæ, ut in unicam quasi vesiculam abire videantur, *confluentes*, & pro materiæ contentæ aut vesicularum continentium diversitate, colore, & figura modo *purulentæ*, modo *sebaceæ*, modo *sanioſæ*, modo *livido nigreve*, *acuminatæ* modo, modo *sessiles*,

Historiam seu descriptionem cum potissimorum symptomatum recensione, confisus fore, ut L. B. quæ hinc inde desiderari forte poterant, ex aliis Auctoribus supplere non dedignetur.

modo *globoſæ* ſalutantur. Quædam ſine graviorum ſymptomatum præſentia blande ſuum abſolvunt decurſum, & *benignæ*, quædam nulli adſtrictæ legi atrocioribus comitatæ accidentibus ſeſe monſtrant, & *malignæ* in Medicorum ſcholis nuncupantur. Subinde plures ejusdem loci incolas ſub certa aëris diatheſi invadunt, & *epidemicæ*, ſubinde in unius aut alterius ſpecifica corporis diſpoſitione ſua deprehendunt incunabula, & *ſporadicæ* audiunt. In infantilem aut juvenilem ſi graſſantur ætatem, *congruarum*, ſi inverſo rerum ordine adultæ ætati, vel viridi, vel decrepitæ ſenectuti præter ſpem & expectationem ſtruunt inſidias, *incongruarum* jure merentur prædicatum. Tandem quia ſæpe absque aliorum morborum comitatu apparent, *ſimplices* dicuntur, non raro etiam tanquam neci inferendæ impares, aliis ſuppetiæ malorum generibus, iniquâ videlicet purpurâ, aut truculentis petechiis in miſeros mortales ſuam exercent tyrannidem, tuncque *complicatæ* vocantur.

§. II.

Traditâ qualicunque Variolarum naturalium deſcriptione ac diviſione funeſtiſſima illa, quæ morbum hunc antecedunt, &

&, velut umbra corpus, ſubſequuntur phænomena, per quatuor potiſſimum illarum periodos, ceu totidem tragicas variolosæ Hiſtoriæ Epochas, ſunt examinanda. Non prius fœdiſſimis Variolarum puſtulis deformatur cutis, quin varia turbatarum actionum ſymptomata mox aperiundæ triſtioni tragœdiæ præludant. Hæc prima Variolarum Epocha, quæ *tempus invaſionis* mihi audit. Non hic immorabor multum adolescentio illi Variolarum generi, quas *notbas* dicunt, cum debito ſervato regimine in ipſo, ut ita dicam, ortu ſuum jam inveniant occiſum. Hoc ſolum, ut ajunt, in tranſitu annotaſſe ſufficiat, neminem, etot hiſce fuerit obſeſſus, à fatalis illius tributi ſpecie, quod *genuina* expetunt, propterea ſe impoſterum gloriari poſſe immunem. *Benignas* pariter non attingo, tanquam periculi ordinarie expertes, cum enim plerumque temperato vere in corporibus non adeo impuris, nec ſero & ſanguine repletis orientur, facile ſolius naturæ beneficio acris & irritans materiæ qualitas non modo mediante ſucco roſcido in corpore corrigitur, ſed & ſalutari ejusdem affluxu in ipſo ſuppurationis actu plane mitia & blanda efficitur (c). Aſt illud dole-

(c) Hoffmann. M. R. S. T. 4. p. 1. § VII. p. 146. de

mus ſæpe ſæpius calidioribus tractatas remediis, quæ in *benignarum* ordine lætiori ſubſtitiſſent omine, in *malignarum* familiam, cum ſummo ægrorum diſcrimine, ſtupenda tranſiiſſe metamorphoſi (d). Imo & illud ſemper lugemus, ſi quando infortunato ſydere in ſalutarem alias catameniorum ſi chiorumque fluxum benignarum eruptio ſuppuratiove incidit, qui vix non ſemper tunc fatalem illidem exitum afferre ſolet. De veris itaque & quidem malignis ſolummodo mihi ſermo erit. Quamprimum ſpeciale fermentativa ſuique multiplicativâ indole præditum, & vel ideo forte peſtilentiâ infelici forore vix inferius (e) in atmoſphæra diſſeminatum varioloſi veneni genus in corpore humano intra glandularum cutanearum cava receptum, à vaſis bibulis abſorptum,

---

de paucis & diſtinctis exanthematibus ait Sydenh. l. c. p. 254. parum illa habent momenti ſive in hanc, ſive in alteram partem, ſi vel mediocriter in arte valeat is, qui medetur.

(d) Sydenham l. c. dum pergit his verbis: quamquam etiam in genere hoc ut ut ſuopte ingenio omni vacet periculo, haud pauca (quod ſero & ſero dolendum eſt) libi mortem acciverint, quoties malo ſuo fato in eos incideriut, qui in calore promovendo ſpem omnem ponentes, cum morbo ad jugulandum ægrum, licet inſci, conſpirabant.

(e) Horne. l. c. §. XV. p. 250.

ſorptum, & ab amica, per occultam quandam vel affinitatis, vel adhæſionis, vel attractionis cauſam, inventâ materiâ, quam focum Variolarum dicit BUTINI (f) animatum, per reliquos vaſorum canales integræ humorum maſſæ communicatur, eidemque ob vim coagulatoriam phlogiſtica diatheſis ingeritur, in id omne totus, quantus poteſt viribus, providens incumbit natura, ut particulas has, quæ neſcio acribus armatas ſpiculis digerat, digeſtas ſubigat, ſubactas eadem, idque tunc facilius in exteriorem mucrocolum corticem eliminet, quo tempore, mutâ ſeditione, perturbato ſanguinis ſtatu, coactoque in fortiores motus illius circulo, atque inductâ anchon Ventriculorum cordis contractione febris accendatur neceſſe eſt; quin imo denſum incenſarum, ac furentium, perque omnem longe lateque circulantis ſanguinis dimonem tumultuantium particularum agmen, inſignem corporis laſſitudinem, ſummam virium proſtrationem, alvi officio ſuo non fungentis ſegnitiem, ciborum faſtidium, crebros vomitionis actus, ſomnum inquietum, cephalalgiam ſatis vehementem, deliram animi per-

(f) Traité de la petite Verole communiquée par inoculation. p. 8.

perturbationem, lancinantes aut tenſivos abdominis, lumborumque dolores, vaga arthritica, nephritica, pleuritica, colicaque tormenta, ſpaſticos convulſivosque artuum motus, & quæ ſunt alia ſexcenta hujus ferocis morbi ſymptomata, pro harum vel illarum partium locorumque contactu irritationeque neceſſario producit, tamque diu ſuam exercet in fragili miſerorum mortalium machina tyrannidem, donec reperatâ lauro natura, voti ſui compos facta, peccante in ſanguine materiâ, à ſanguine ipſo ſeparatâ, per ſalutare criſeos indicium, ad commune corporis emunctorium propulſata primam abſolverit periodum (g). Verum, quod dolenter utique referimus, non ſemper rebellea materiæ variolosæ particulæ ſalutari faventis naturæ obediunt conatui; ſed neglecto ordinatio dierum criticorum curſu

(g) SYDENHAM l. c. p. 236. Nemo, ſi mutatâ nonnihil phraſi, verba hæc mihi, uti & in ſequentibus, appropriem, vitio vertat, ne cenſionem referat hæc Diſſertatio, quantum fieri potuit, æqualitatem ſtyli ſectatus ſum. Nec opprobrio mihi dabit quiſquam, quod multa ex Authoribus huc tranſtulerim; eo enim feci fine, ut dictis meis major concilietur authoritas, ſi tantorum virorum ore loquar, non enim gloriosa ſummorum in arte magiſtrorum pectora ſine plagii tamen nota gloriam erubeſco.

curſu duplicatam accendunt febrem longe funeſtiſſimam (h) Si funeſtum miaſma fibras fortes tenſaſque, ſi ſanguinem coagulum invent & ſpiſſum, ſi etiam pro augendo malorum cumulo vaotricolum, primaſque vias cacochymicâ cruditatum obſeſſas colluvie, aut ſcorbuticâ ſuccorum acrimoniâ laborantia corpora infelici offendit auſpicio, augentur inquietates, invaleſcunt ſpaſmi, & ad extremam diffuſi cutem, horriſpilationem ibi faciunt ejuſque conſtrictionem. Subſequitur vehemens calor febris, hinc acuta inflammatorii accenditur, quæ ſubinda tanto debacchatur furore, ut nec molle pulmonum viſcus, nec ſubtiliſſimam cerebri ſubſtantiam, nec glandoloſam faucium cavitatem, aut alias partes nobiliores relinquat intacta, non ſine periculo vitæ præſentiſſimo. Miſſus tunc è vena cruor *crufum* utplurimum albam, tenacem, *inflammatoriam* vocant, ſiſtit. Niſi tunc citiſſimis repagulis effrænata coërceatur ſanguinis ebullitio, immaneſque in vaſorum & nervolarum partium ſyſtemata motus ad debitum tradu cantur moderamen, fatali æger abripitur phreneſi, aut, quæ plerumque comes eſt, lethali

(h) Hulme Eſſay ſur la petite Verole traduit de l'Anglois par Clerton p. 161. & ſeqq.

(i) lethali suffocatur peripneumoniâ. Medici tangentis manui offertur pulsus creber, durus, inæqualis, fatali tendinum, (k) convulsionum instantium præsagio, stipatus lubilitu, liberum alias respirationis negotium calore, parvitate, & difficultate turbatur, qui per renes elabitur humor, rubicundi & flammei existit coloris, sitis est intensa, lingua fit aspera & ficca, quæ cuncta mortis fores pulsantis indicia haud obscura. Sin vero Variolarum venenum in corpus variis jam prægressis infirmitatibus labefactatum, debito vasorum tono delibutum incidat, febris alia quidem sed æque funesta, ac prior, ordinarius lentarum & nervis potissimum inimicarum stipata febrium apparet symptomatibus Infelix tunc æger longo sat temporis spatio languet, evanescit sensim spirituum vitalium robur, pulsus est celer, debilis tamen & vacillans, urina clara, sed cruda, corporis habitus pallore turpi desœdatur, affocat se bisce mox vertigo continua, gravativus capitis dolor, virium vitalium solutio, verbo insuperabilis totius corporis lassitudo, & quid tan-

(i) Kemp Interpres Clinicus p. 291

(k) Nenter Fundamenta Medic. Theor Practic. T. 2. p. 560.

tandem aliud? nisi, quod natura tot undique malis pressa, illisque superandis impar, suis frustrata conatibus, tandem vel antequam Variolæ erumpant, vel post illas, ob nimiam tarditatem pessimâ notatas indole, succumbat. Nec mirum; dum enim contagii acris & coagulantis copia, sub contractili languente cordis vi, ægre subigitur, frangitur & expellitur, dum vitales spiritus in subtilissimis & invisibilibus nervorum canaliculis ante suum absolvere nequeunt circulum, dum requisitam perdunt elasticitatem vasa, dum segniores evadunt in dies oscillationum motus, dum omnis secretionum & excretionum, speciatim illarum, quæ ad conservandam vitam maxime sunt necessariæ, turbatur oeconomia, sensim sensimque inflammatoriâ humores stasi, nonnisi gangrenâ & sphacelo terminandâ corripiantur ægri oportet (1) Quam periculosa sit

(1) Funestum hujus rei præbet exemplum Horgn. l. c. Observ IX. p. 184 Epicrisis huc refert meretur. p 185 Causa horrendæ catastrophes vix alia est, quam quod variolæ inciderunt in corpus, in quo per diuturnam febrem & calorem vires consumptæ, & benigni ac temperati succi dyscrasiam viciosam, imporum, excrementitiam contraxerunt, cum enim ipsæ variolæ jam ejus sint indolis, ut solidos corporis

ſit illa febris ſpecies, petechialis dicta, quæ infortunato ſeſe non raro Variolis jungit connubio, non opus eſt multis demonſtrare. Quiſquis novit pedetentim illam ad univerſalem totam ſanguinis maſſam diſponere diſſolutionem facile illam vel in prima vel certe in ſecunda epocha ſemper eſſe vel fore fatalem perſpiciet (m). Haud raro etiam brevi temporis ſpatio & ſpeciali ætis maximopere infecti diſpoſitione exaltatum immodice fermentum tantam conficit variololæ colluviei copiam, ut incipiente etiam morbo fatiſcens ctiſſime ad plures rapiatur æger (n). Accedit ſæpe ex turbata univerſali motuum œconomia deliriam, lipothymia, vix com-

---

ris ſuccos conſumant, & putres ulcerationes ob id ſæpe relinquant, ut rem non eſt cancroſam corruptionem in tam imbelli corpore fuiſſe ſubortam.

(m) Sydnh l. c. p. 232. Atque hanc ob cauſam, ſiquidem judico, maculæ purpureæ plenam exanthematum eruptionem haud raro præverterebant, & ejus eam extundebat vehementior inflammatio debilem ſanguinis crafin ſuperturbans atque diſperdens, etiam ante juſtam materiæ morbificæ expulſionem prematuram mortem accerſebat &c.

(n) Sydnh l. c. p. 233. materia enim morboſa tum præ nimia ſui copia cum ſuo motu inordinato ut conflato in ſanguinis maſſa excitato ſe nequit extricare, & foras educere.

compescenda narium hæmorrhagia (o), mictus creber cruentus, sanguinis sputum impetuosum, infausti plerumque latentis in occulto mortis nuncii (p).

(o) Huc stipatæ symptomate apparuerat Annis proximè elapso epidemice grassantes ie orbe romano Variolæ, quæ sepervcerente paucorum dierum intervallo deraute febre atrocissimâ, intra breve tempus plusquam 2000 jugularunt ægrotos. In Novellis passim Ann. 1754. Mens. Novembr. & Decembr. Perneent hæc quæ in JOURNAL BRITANNIQUE mois de Mars & d'Avril 1750 p. 443 in depictæ Variolæ perexiosæ fuerunt hoc mense Variolæ, Pustulæ sebinde secundo jam fere molestarunt die, quin ulla fere præcessisseut symptomata. Febris erat minus violenta, pulsus sæpe usque ad quartum vel quietum diem sani hominis pulsui erat æqualis, æger nihilominus eodem transigebat luter delira, & immodicum sallax profluvium. Septimo die pulsus evadebat vividior, quin evaderet fortior, i le poule devenoit plus vif, face devenoit plus fort) calor, inquietudines & delira augebantur, pustulæ erat replete materiâ flavescente & bene coctâ, eil conbnebent, nisi quandam cremoris pallidi speciem, coeluxus illarem in facie, crustæ gaegræenfæ, cutis membranæ pergamenæ tumulæ similis. Erat nimis fuemet periculi prodromæ, morieheme æger circa undecimum diem suffocates, eut si huec emeutiebatoe terminum, vix secundæ febris impulsui resistebat. . . Ex Mercuar de France cit. in Journal. Britann. l. c apparet Variolas Ano 1753. e mense Junio usqee ad Decembr. ejusdem geeens seisin grassatas, eosque magis universaliter & letbelitas.

(p) Vid. passim Sydenh. Horex. Kramr, &c.

§. III.

Utut periculorum plena hæc prima Variolarum Epocha, non omnibus tamen ſemper exiſtit fatalis; multi enumeratis hiſce ſeſe feliciter ſubducunt charybdibus, ſed in ſcyllam incidunt, triſtiſſimum facturi vitæ naufragium in ſecunda, quam *tempus eruptionis* appello. Victrix natura, ut primum rebelles miaſmatis venenati particulas à rubicundi liquoris maſſa ſeparatas, ad tubuloſam cutis propulſavit ſubſtantiam, ut prius in ſanguine, ita nunc in carnea mole, quod ſupereſt, tragœdiæ abſolvit. Sicut vero natura non aliâ ſaltem hactenus cognitâ methodo, quam accenſâ febre peccantem in ſanguine materiam Varioloſam novit amoliri, ita etiam nonniſi facto apoſtemate maſſam carneam ab inſidiantibus ſibi inquilinis ſcit liberare ſtabulantes proinde in carnibus demum particulæ primum in phlegmonas, ſed augeſcentes in horas, efferatiores inde & inflammatiores reddítæ tandem in pus optimæ notæ, niſi quid obſtet, ut deſinant, neceſſe eſt. (q) Atenim vero obſtat perſæpe plurimum, quod non tantum ſalutares febris, reliquarumque accidentium remora-

tur

(q) Syden. l. c. p. 136.

tur inducias, verum etiam, dum duplicatis febribus recrudescunt omnia; & ipsa Febris succeditur vehementius, statum ægri longe reddit acerbiorem, eruptionemque Variolarum ancipitem; nemoem enim in rebus pathologicis adeo hospitem arbitror & peregrinum, qui nesciat, discretarum Variolarum eruptionem in quartum à primo morbi insultu diem, dum confluentium in tertium, ut plurimum incidere. Quoties vero non evenisse inopinato territu spectaculo vidimus, ut vel plane non, vel nimis tarde, vel nimis cito gravissimis notatæ prodierint symptomatibus Variolæ, manifesto utique latentis sub herba anguis & certissimi immminentis periculi argumento. Primus casus, quando omnium non erumpunt pustulæ, perdito naturæ debilitatæ robori adscribendus venit; Variolarum enim efflorescentia, cruditatum separatio & excretio ab hac energia unice dependet; ob nimis irregularem vero sanguinis motum, ob secretiones à naturali plane deflectentes ordine, ob vires in expellendo deficientes, ut eruptio omnino inhibeatur, necesse est. Sed cum de his jam §. *præced.* verba fecerim, pluribus hic dicendis supersedeo, nisi quod à diuturnori atrociorum phænomenorum duratione ægri statum indies reddi pe-

periculoſiorem eruptionemque incertiorem probe velim annotari. Vitiata etiam, hoſpitans in M. S. qualitas ſalubernimum interrumpit naturæ negotium; tunc accedentepræſertim regimine calidion exuberans fermenti variolofi ita exaſperatur agitatio, in violentam ita concitatur denſus phlogiſtice ſanguis furorem, ut tali ratione inſigniter attenuatus, diffractis etiam vaſorum clauſtris, nunc per nictum cruentum è renibus elabatur, nunc per pulmonum ſpongioſum viſcus expuatur, nunc è nare plenis rivis deſtillet, nunc per purpureas maculas, dum ad arteriarum extremitates in muſculis & cute adigitur, terminetur, unde totidem quaſi ſphaceli his in partibus, in quibus extravaſatus coagulatur ſanguis, oboriuntur (r). Obſervavit ſæpius HOFFMANN (s) à nimia ſanguinis redundantia ſufficientem materiæ variolofæ ad cortiecm corporis propulſionem fuiſſe impeditam, indeque effectum, ut diſcretarum tantummodo puſtularum eruperint primitiæ, relictâ ratus materiâ, unde citra declinationem varia ſymptomata ſpaſmodica, convulſiva, delira, catarrhi ſuffocativi, quin apople-

(r) SYDENHAM l. c. p. 85, & 236.
(s) l. c. p. 155.

apoplexia fuerint inducta. In eo casu, ubi tarde nimia erumpunt maculæ, ibi eædem occurrere possunt causæ, eademque proinde sese manifestare phænomena, de quibus modo differui; hac saltem cum differentia, quod tunc integra, nunc vero ex parte solum acrium particularum, per vasa venosa juxta circulationis legem in massam sanguineam resorpta colluvies vehementem in modum cum ipso sanguine incitetur, ut subministrato inde febriculæ fomite, infaustæ plerumque tragœdiæ luctuosior finem imponat catastrophe. Et quo major miasmatis rubicundo tingeritur liquori copia, eo atrocior accenditur febris, cui vires ægri plane sunt impares, eoque celerius omnis illius massa ceu exitiali quodam inquinatur veneno (t). Periculosior tamen longe est ille indicatus status, in quo ob vitiatam sanguinis qualitatem, ob fortiorem febris insultum,

(t) Sydenh l. c. p. 256 & 81 Ss. nit. si ob strictus aliquod symptoma ad quartum vel quintum diem usque differatur eruptio (de confluentibus loquitur) & acutissimus dolor nunc in regione lumborum paroxysmi nephritici modus &c. ægrum defatigat angitque, hisce in casibus licet sint infrequentes Variolæ tamen solito erumpunt, utpote ab imminenti symptomatum violentia constrictæ atque impeditæ, . . . & periculo minime vacant.

ob præcipitem nimis materiæ variolosæ assimilationem citius, quam par est, subinde in magna etiam quantitate sese manifestant fructuum præcociorum ad instar inani spe lactantes variolosæ maculæ; sanguis enim & reliqui humores nimium excalefacti fortiori particularum impressioni promptius cedentes, citius quam res postulat, acres pustulas omnes ad exteriorem corporis habitum pellunt, quæ latius sese subinde expandunt, atque inter se confluunt, profundiora erodunt, ruptæ nullam materiam purulentam æqualem, sed saniem serosam ostendunt, quandoque etiam nil nisi aerem continent, aut diffluentibus penitus humoribus nimio impetu non tantum exteriorem cutis corticem atro livore corrumpunt, quo & interiora occupant viscera, & in iis lethales producunt inflammationes, ægrumque semper in præsentissimum vitæ conjiciunt discrimen. Audiatur præ cæteris accommodatum scopo meo divinum SYDENHAMI effatum. (u) Medicus, inquit, ubi primis morbi diebus ægrum invisens, faciem ad instar pulveris e limatura acicularum undique respersam contemplabitur, mortem prædicet uno aliquo è diebus jam mento-

(a) l. c. p. 234.

memoratis avolaturum; idque præ indomita vi febris succedaneæ, quam pro ratione quantitatis puris ex innumeris istis apostematis in sanguinem rejecti desævire necesse est. Imo ejusdem testimonio (w) funesta hæc ruina aliquot, antequam ingruat, diebus, ut ut belle sese in speciem habere videatur æger, facile potest prævideri. Periculosæ subjungit, plenum opus aleæ est, quidquid moliamur jam constituto in hac specie morbo; nec si tandem æger mortem evaserit, id tam meæ debetur solertiæ, quam vel insigni narium hæmorrhagiæ vel fortuitæ alicui, quæ morbo accidit mutationi. (x) Vir sincerissimus ait præterea: ex dictis itaque satis videtur manifestum, in quam incerto lubricoque loco tum morbus ille, de quo loquimur, tum praxis medica, quæ eidem accommodanda. Atque exinde in genere pronunciare non veretur, illius famam, qui in medicando hoc morbo frequenter sese exerceret, in angusto versari &c. (y) Frustes alias eruptionis variolarum præcipue irregularium confluen-

(w) l. c. p. 235
(x) l. c. p. 84.
(y) Plura vid. apud Syden. l. c. p. 239. confer. & Herm. Boerhaave, Noster de Variolis.

tium atro ubique malignitatis carbone notatarum pediſſequas, ceu enumeratorum funeſtiſſimorum ſymptomatum ſymptomata funeſtiſſima qui legere deſiderat, adeat præfatos ſummos in arte ſalutari magiſtros, imo vero adeat omnes, qui de variolis ſcripſerunt Authores, & anne, quæ hactenus dicta ſunt, à recto veritatis aberrent tramite, reperiet.

§. 4.

Tertia Variolarum Epocha, quam *tempus ſuppurationis* voco, potiſſimum à ſecunda, hæc à prima ſuam mutuatur malignitatem Si enim tempus eruptionis male ſucceſſerit, quomodo ſuppurationis bene abſolvetur periodus? quin imo inverſâ eruptionis periodo, invertatur certo certius ſuppurationis epocha neceſſe eſt. Triſtiſſima id omnes, quotquot periculoſam in hoc morbo exercent praxin clinicam, quotidiana docet experientia. Quantam enim non ſæpe illæ ipſæ puſtulæ, quas tanto labore medici excitavit ſolertia, ſtupente medico poſt ſe traxerunt malorum catervam? vix namque purulentâ diſtentæ materiâ variolæ aliquamdiu exteriorem corporis habitum obſident, & neceſſaria ex improviſo tollitur perſpiratio, præceps graviſſimorum ſymptomatum occaſio, no-

va

va ſtatim peſſimæ indolis accenditur febris, ſoque labefactati jam ultra, quam par eſt à prægreſſo fervore febrili humores iteratâ hac exagitatione mirum quantum peſſundantur. Sæpe purulenta materies à bibulis extremarum venarum oſculis abſorpta, & humorum circuitui de novo commiſſa, prout in hanc vel illam partem à ſuperſtite vitæ vi agitur, varios ſed periculoſos ſemper producit morbos. Si ad illam, quæ propria exiſtit animæ ſedes, & ſine dubio functionum animalium vera ſcaturigo, ad cerebrum determinator, delirantem illico, mox & furentem ſpectabis ægrum. Et hisce in circumſtantiis quid de vita ſperandum? ſi pulmones, pneumaticum illud reſpirationis organum, eadem obſederit materia, impeditum id mox vitalem humorum fluxum, proximumque diem ultimum inſtare ægro, ſi cauſarum vitæ ſit peritia, abſque hæſitatione prædices. (z) Quoties inſuper ab atrociorum accidentium inſultu debilitata nimium natura nonniſi parvas, lymphaticas, cryſtallinas in

B 5 aper-

(z) Le Dec in diſſert. de Byzantina Variol. Inſitione p. 78. Conſentit Huxam l. c. p. 243. ſi febris, inquit, hæc aliis ſuprà ſymptomatibus corpus impurum offendit, ſi puſtulæ ſint confluentes, virulenti geniſ, delirio & convulſionibus accedentibus nona vel undecima die necant.

apertum effluxit campum pustulas? debita quidem illarum optanda vix ac ne vix quidem speranda est maturatio, quin potius sine maturatione concidunt, livescunt atque nigrescunt, aut materia cruda, ichorosa & aquosa ab uno loco ad alterum divertens in majores cutis cogit vesicas, quæ in longitudinem ruptæ omnem longe lateque aeri suâ & caustica materiâ depopulatur viciniam, ut hac ratione infelix æger fœdissimâ per totius corporis superficiem ulcerum tabe defœdatus & excoriatus horrendum aspectantibus præbeat spectaculum. Nimia sæpe materiæ hujus clatæ & crudæ a sanguine resolutæ quantitas, innumerarum pustularum flaccidarum, vacuarum & siliquosarum agmen pessimo post se relinquit omine, inde motus convulsivi, febres peripneumonicæ, dysenteriæ, syncope &c suam ducunt originem, inde excrementa nigrum intermixto sanguine & sanie nanciscuntur colorem, indicio satis manifesto, conjuncto præsertim abdominis tumore, tensione & dolore, plenariam intestinorum œconomiæ inductam esse mortificationem (aa) Pessimum quoque

(aa) Vid. Huxham l. c. p. 210 qui pulcherrime ultimum hocce explicat phænomenon ex singulari earum inter & intestina, manæ evacuationum, consensu

quoque continues urinam mittendi, ſine notabili tamen evacuatione, conatus exiſtit ſignum (bb) uti & ſera illa exiguarum, nigrarum macularum, ſubinde purpurearum agmine ſtipatarum Variolarum confluentium priori longe forſan periculoſior ſpecies, ubi tanta eſt humorum corruptio, tanta putredo, ut ſi HUXHAMO habemus fidem, (cc) ex quatuor horis, & ſi maculæ nigræ, miſtui ſanguineo aut alius

conſenſu, & inde quod evacuatio unius diminutio ſit alterius &c. SYDENH. l. c. p. 244, nec. pro ratione orgaſmi, quo tumultuatui actus ſanguis, priſtinæ marceſcunt, intercepto alterius progreſſu, unde non ſolum peccantis materiæ eliminatio ſuffiaminatur, ſed ipſoper ſingularum phlegmonum œconomia & gemina craſis interturbatur, indeque vel pro omnino debito tempore ad ſi paratinem pertinguni, vel ichor demum ſi pure vice & loco ſtati ligneris favum colum referentis, nigricans aliqui humor vel ſuccus alius non naturalis, & à genuina Variolarum puſtulis alienus egerunt. HUXH. l. c. p. 146 ſi puſtulæ ſunt ſanguinolentæ, vel diarrhœa cruenta, aut mictus ſanguinens ſupervenit, lethifera hæc ſunt indicia, & ex 20 vix unus evaſit, qui ejusmodi ſymptomatibus afflictus . . . manifeſto indicio, putrefactione intima ſanguinis craſin plane eſſe colliquatam & vinculum ſeri & ſanguinis deſtructum, quæ etiam ait de ectionum cruentarum cauſa &c. item l. c. p. 159.

(bb) HUXHAM l. c. p. 188.

(cc) l. c. p. 194.

alus hæmorrhagus nuptæ ſeſe manifeſtant, ex mille vix evadat unus. Huc revocari merentur, quæ ab elevato in faſtigium medio *acuminata* vel ob deficiens naturæ robur, aut terrorem necquiequam aſſurgunt, *ſeſſiles* appellantur &c. Sæpius ſalutare in ægri tutamen à natura excitatum, ob intenſiorem febris calorem, ob nimiam puris abundantiam ejto nimia abrumpitur ſalivæ profluvium, niſi faciei tunc intumeſcentia adhuc aliquantulum perſiſtens ac manuum inſigniter incipiens ejus ſubeat vicem, periculoſumque morbum ſalutari levet emſi, perire ægrum neceſſe eſt; & ubi puſtulæ ſunt valdæ exiguæ, non ſalivatio tantum, ſed & faciei ac manuum ad materiam rite eliminandam requiritur intumeſcentia, quarum utralibet, ſi vel non adſit, vel ante debitum tecedat tempus, ægro protinus eſt moriendum. (dd) Nam cum faciei tumor, per quam nonnihil materiæ morbificæ evacuatur, nunquam non eo ipſo die diſpareat, ſi ſalivatio eodem pariter ſe ſubdueat tempore, nec manuum oriatur intumeſcentia, æger materiâ variolosâ jam putreſcente ceu veneno inficitur, eumque nulla amplius, per quam evacuari poſſit, pateat porta, in

(dd) Sydenham l. c. p. 84

in, buſh himine conſtituitur (ee). Subinde ptyalismi materia, quæ ad hunc uſque diem extitit cruda, tenuis, facileque excreabilis, viſcida jam facta & tenax repentinam ægroto intentat ſuffocationem; potus, quem aſſumit, in pulmones fere dilabitur, unde cum tuſſi violenta per nares rejicitur, voce eſt raucâ, ingenii corrumpitur & ſomnolentiâ & ſtupore, oppreſſos ſic undique morbi ſævitiâ in hujusmodi agone ut plurimum extinguitur (ff). verum utut ſalutaris imo neceſſaria ſit ſalivatio, abundantis tamen & acrimonia illam non raro reddunt periculoſiſſimam; ſæpe citò nimis ſeſe prodit, & tantâ continuat vehementiâ, ut quaſi abraſo communi linguæ, palati, & faucium involucro inter acutiſſimum doloris ſenſum ſomnus & ipſum deglutitionis retardetur negotium, ſicque ſub perenni tortura ad ultimum uſque halitum diſcrucietur æger. Accidit in-

fau-

(ee) Idem 93. Nenter l. c. p. 559.

(ff) Stoerck l. c. pag 85. 93. 236 Hoffm. p. 167. ex eadem ſæpe ratione lingua cum faucibus, œſophago, & aſperæ arteriæ, cruſtâ quadam tenaci albicante operta quaſi ſemicocta apparet. nec per oſcitum nec per gargariſmata, nec per aliud remedii genus peſſimum hocce abigitur ſymptoma, eo quod omnes nominatarum partium glandularum impediat ſint ſecretiones. Hoffman p. 206.

faustum hocce phænomenon frigidâ potissimum & humidâ existente aurâ, in iis præcipue, qui morbis catarrhalibus alias sunt obnoxii, relaxata enim tunc vasorum fibris imprægnatur magis magisque frigidis ac nitrosis vaporibus langues, unde transpirationis turbatio, unde tam confusum mordicantium & serosorum humorum chaos (gg) sed & hæc (quis enim enarrabit omnia) de tertia periodo dicta sufficiant.

§. V.

Quarta denique & ultima Variolarum epocha, quam *tempus desquammationis* nuncupo, adhuc breviter superest examinanda. Si tot tantisque superatis periculorum generibus ad hanc usque periodum feliciter pervenerit æger, res ejus in salvo esse certo certius credit imperitum vulgus, at quod illis sæpenumero, qui pretiosissimis oneratam mercibus navim ad ipsum fere portum deduxerunt, tristissimo evenit spectaculo, ut præter spem omnem & expectationem funestum in ipso portu perpetiantur naufragium, idem ipsum non raro accidit iis, qui hanc ultimam adepti epocham extra omnem discriminis aleam se

(gg) Huxham p. 136.

se positos triumphantes sibi gratulantur. Luctuosa hujus rei non desunt exempla: ocularis testis est HOFFMANNUS (hh) qui omnium etiam loco sufficeret. Vidit ille Variolis jam exsiccatis juvenes, postquam in ipso morbo capitis gravitate, vigiliâ, & per intervalla mentis emotione laborassent, de repente insultu apoplectico fuisse extinctos. Novit quoque l. c. infantes unius aut 2. annorum, cum absolutâ exsiccatione in vado prorsus esse viderentur, maculâ erysipelaceâ, lividâ, nigricante, maligná, quæ totam fere tibiam vel pedis regionem occupavit, ex improviso fuisse affectos, & subito mortuos, manifesto sphacelationis & magnæ corruptionis in sanguine indicio. Observavit præterea in quibusdam tardius malignam & putrefactivam variolosi humoris indolem sese ostendisse, dum post exsiccationem febris mitrebat lenta, & in externis partibus, præsertim articulis, brachiis, manibus, pedibusque tumores oriebantur, & ex iis fiebant fœda, exedentia, fistulosa, & ossibus cariem inducentia ulcera, quæ difficillime sanationem recipiebant, & procedente tempore lentam inferebant mortem (ii)

Accepa

(hh) l. c. p. 149.
(ii) Mercur. l. c. p. 147

Anceps etiam facit judicium, ubi novæ semper exſiccatis jam ſubnaſcuntur papulæ minores, & ſuppuratio atque exſiccatio nimis protrahitur (kk) adſtipulatur KLEIN (ll) ubi matureſcentibus novæ adhuc ſuccreſcunt aliæ, facile retrocedunt, & ægri convulſi plus ſæpe pereunt. De iis autem, qui Variolarum morbum ſuperarunt, multiplici confirmatum eſt experientiâ, quod pueri antea ſani & valentes, in Variolis vero perverſâ medicatione calidiori excepti, vel à natura validiori medicamenti calidioris inſtar agentis ſtimulati (mm) vel commiſſis in diæta erroribus, ſi felici fato evenit, ut ex ingenti clade tanquam ejuidem nunci evaſerint, in triſtem turpiſſimi morbi memoriam, amiſſo inæſtimabili elegantioris potiſſimum ſexus theſauro, pulchritudinis, nullâ amplius arte reparabilis jubare, phthiſin, febrem lentam, tabem & aſthma procul nempe materia Variolarum acria reſidua exitium quærit, incurrerint, viſûs vitia, cæcitatem, ophthalmias, epiphoras, maculas & albugines contraxerint, aut cica-

(kk) idem p. 148

(ll) interpr clin § 6. p. 292.

(mm) SYDENHAM l. c. p. 235 ad naturam ſubinde medicamenti cardiaci ad inſtar agere. HOFFM. p. 150.

cicatricibus & futuris fœdi, vel quod levius quidem eſt, facie quaſi infinitis perforata eſſet glandulis plumbeis inceſſerint deturpati, (on) quibus, ſi addas ea, quæ Kleinius (oo) recenſet, integras malorum habebis litanias. Quæ omnia à fœdiſſimis vel in humoribus vel in tenerrimis cutis fibris ſtabulantis materiæ ecris venenatæ reliquias, modo, in hac, modo in illa parte per fatalem depoſitis metaſtaſin ſuam deducunt originem (pp).

C §. VI.

(nn) Horne p. 150.

(oo) l. c. p. 291.

(pp) Quæcunque in externa cute oſcula excretoria poriſque innumeros perforant contingunt, eadem in interioribus cavitatibus uteri, pulmonum, œſophagi, inteſtinorum, hepatis, lienis &c. quæ tute quanta oſculis exhalantibus ſcatent, æque fieri debere evincit ratio, deſumpta ex cadaverum ſectionibus unufquisque experietur. Teſtantibus Bonnet ſepulchr. l. IV. Sect. 1. obſerv. 60. Ettmuller opp. med. T. II. p. 346 ſchenck obſerv. medic. libr. VI. de morb. epidem. obſerv. 2. Boerhaav Aph. tit. de Vomit. cit. à Massach. in diſſert. de v. l. in Variolis neceſſ. argendnæ habita. vid. etiam Huxham l. c. p. 177 & 180 qui tit. quædam puſtulæ in faucibus & naribus ſunt pertuſoſæ quam cerum in partibus exterioribus &c. fatcor lubens, mereretur hæc ſymptomata paulo accuratius examen, ad demonſtrandam magis magisque Variolarum malignitatem, ſed ob tempora anguſta remitto B. L. ad laudatos modo Authores.

§. VI.

Inquirendum nunc quo que eſt in hujus morbi accidentium ætiologiam. De morbi hujus accidentium, non de morbi ipſius loquor ætiologia, tam denſis enim in voluta eſt tenebris, ut à priori vix aliquid certi proferre valeamus, licet etiam vel ad ſubtiliſſimos vermiculos ſeu Pathologiam animatam cum KIRCHERO, vel ad menſtruum ſanguinem tempore graviditatis retentum cum Arabibus, vel ad cruorem recens natorum in ſupe umbilicali reſectione ſtagnantem cum aliis vel cum Aſtrologis ad occultam ſyderum potentiam, fictituum ignorantiæ aſylum confugiamus; Plures (non hic tædioſa repetitione enumerabo ea, quæ ob filum connexionis jam incidenter annotavi) plures unquam, quæ ad majorem funeſtiſſimorum modo recenſitorum Variolarum ſymptomatum atrociam producendam ſuam infeliciter conferunt ſymbolam, exiſtunt cauſæ: harum aliæ naturales, non naturales aliæ, aliæ præternaturales audiunt. Ex naturalium cenſu ætas & quidem infantilis primum ſibi depoſcit locum, duplici ex capite acculanda, eo quod non tantum ſalutarem naturæ ſæpius dominantis remoretur conatum, verum etiam utut improbam paratæ adjuvandum artis eludat induſtriam; cum enim

ex

ex una parte tanta ſit puſillæ hujus ſtructuræ ad annum uſque quintum præſertim teneritudo, tanta partium nervoſarum ſenſibilitas, tanta ad contractiones ſpaſmodicas diſpoſitio, cùm quantitate & impetu à fluidis inſigniter ſuperentur ſolida, cum habitus corporis cutiſque laxior, & pori ſint patentiores, accedente præſertim ſaburrâ humorum, quâ ſæpiſſime obvoracitatem tenella hæcce turgeſcunt corpuſcula, unique ad recipiendum variolarum contagium, in interiora vitalemque laticem ſunt commodiora, ſi enim vel in nimia tunc abundantia, vel nimiâ ſtipatæ appareant variolæ acrimoniâ, otioſa, ut ita dicam, præter votum naturæ plerumque nonniſi funeſtum hujus tragœdiæ eventum cogitur ſpectare aut expectare. Ex altera parte, cum merito deploranda hac ætas nec ſufficienter, quos & ubi locorum patiatur dolores explicare, nec in convenienti ſecundum Diæretices præcepta regimine continere, nec ad præſcripta à Medico remedia queat adſtringi: aut pariter nunquam vel nonniſi valde imperfecte obtento fine victa cogitur vitâ exulante exulare (qq). Nec minus pro augenda periculi magnitudine facit certa quædam adultioris

(qq) vid. Boerhav. l. c. chap. v. p. 24. & ſeqq.

etiam ætatis temperies (rr), ſi enim humores acres ſpiſſique, ſi ſolida ultra modum tenſa & elaſtica, ſi cutis exterior nimium appareat dura, exituræ mox Variolarum materiei occluditur via, difficile redditur eruptionis negotium, latæque gravioribus phænomenis adaperitur porta. Præterea annotante NENTERO (ſſ) generaliter adultorum variolæ gravius urgent, & ideo etiam ſunt periculoſiores quam juniorum ob duplicis febris concurſum, ; dum enim febris ordinaria Variolis juncta, a centro ad peripheriam expellere nititur materiam, altera in adultis occurrens, more continentium habitum corporis ſtringit, adeoque neceſſariam Variolarum eruptionem impedit, aut eruptarum retroceſſionem cauſatur Multi vel periculorum ex inflicta tot jam mil-

libus

(rr) Nemo inficiabitur fibrarum cuticularium texturam in adulta magnam ſæpe habere convenientiam cum poroſa, quæ in infantibus eſſe ſolet, cute. Quid igitur mirum, ſi para cum infantibus fata in medio etiam vitæ ſtadio conſtitutis experiantur natu graviores. Ipſum etiam venenum alio tempore peſte volantibus cauſa eſſe poteſt, quod fibrarum cutis denſitas malignarum particularum ingreſſum arcere nequeat, ita ut adultorum Variolæ plerumque ſint lethiferæ. RAULE in Diſſ Ipſ. 1718 problema medicum ſiſtens inocul Variol, in utramq part. diſput. p. 11.

(ſſ) l. c. p. 569.

libus clade confirmatorum gnari, vel male nec ſine ratione ſuæ metuentes pulchritudini, continuo fluctuant timore, & dum maxime Variolas fugiunt, ab iisdem de repente correptos ſefe conſpiciunt, inde ſubitanea omnium naturæ motuum turbatio, inde eventus plerumque pullulant funeſtiſſimi. Triſtiſſima hujus rei veritatem comprobat quotidie experientia in ſexu potiſſimum elegantiori, qui alias adhuc de cauſis præ ſexu nobiliori jure meretur deplorari; quis enim neſcit, quanto in diſcrimine, ob nimiam ſanguinis cum impetu ex utero elati quantitatem, verſetur gravida? ſi vel in ipſo ſuppurationis actu funeſtus accidat abortus. Majus tamen evadit periculum, ipſiuſque mortis juſtiſſimus eſt metus, ſi non cito febri viri obſtetricii manu à compedibus & angusto, quem ſat longo tempore inhabitavit, carcere liberetur fœtus; vel enim vehementius rubicundi liquoris profluvium expulſioni materiæ Variloſæ maximopere adverſum fatale producet animi deliquium, vel ſi parcior ſanguinis exiſtat diſtillatio, motus ipſius ad caput, ſubſequente inflammatione & delirio convertetur. Periculoſas pariter reddit Variolas conſuetum illud menſibus ſingulis perſolvendum tributum, ſi vel primis diebus vel in ſuppuratione reddatur

copiosius; funestas enim sæpe post se trahit humorum revolutiones, sæpe tanta excitatur hæmorrhagia, ut debilitata inde natura in salutari suo cursu impediatur. Attestatur hoc ipsum experientissimus FRIDIUS, qui in suo collegio publice asseruit inter centum vix decem hoc sub tempore evadere. Consentit experientissimus WEIGELN, ambo vir consummatissimi, meique in arte obstetricia ad cineres usque venerandi Præceptores. Inter causas non naturales haud levia occurrit mutabilis anni tempestas, modo frigida, modo calida, sicca modo, modo humida. In prima retardatur erupno, & venenum ad interiora pulsum tragicam aperit scenam (tt), in secunda, dum nimium exagitatur massa, de repente inflammationem recipit, & ad plenariam redigitur corruptionem. In alios ob tepentinam vicissitudinem succorum turbantur motus, & secretiones, transpiratio vel nimium augetur, vel impeditur &c. specialis etiam epidemiæ constitutio sive infectus nunc magis nunc minus volatilium venenatarum particulatum copia aër

(tt) Vid. HOFFMANN l. c. p. 150. HUXHAM l. c. p. 185. si sicca simul tempestas fibræ redduntur fortes & elasticæ, sanguis evadit densus & viscosus &c.

Digitized by Google

aër (uu) ſuam gravioribus accidentibus contribuit ſymbolam, unde non raro attractæ per inſpirationem particulæ organa ſubeunt vitalia, & humorum adaugent corruptionem (ww), adeo quidem, ut perinde ac in peſte, laxata, inflammationis vi, ſanguinis compage, maculæ purpureæ ſeſe oſtendant puſtulis interſperſæ, mortis fere ſemper prænunciæ (xx). Huc quoque pertinent exceſſus in cibo & potu, illicitæque veneris exercitus, quatenus vel humorum adaugent quantitatem vel ſuccos craſſos & impuros accumulant, vel ſanguinem in motum concitant velociorem. Huc & varia excretorum & retentorum vitia licet referre. Cauſas denique præternaturales, quod attinet, manus eo crudelius exercendæ tyrannidi præbent paratiſſimas peſſima corporis diſ-

(uu) Vid. erudit. diſſert. de aere vitæ & ſanitatis moderatore habita Argentinæ ſub Præſ. D. Iohann. Buclar. Auth. D. Fels Conſule nunc prudentiſſimo, & Medicinæ Practico famigeratiſſimo ſeleſtadii, Cognato meo ampliſſimo, conſultiſſimo, excellentiſſimo, experientiſſimo, colendiſſimoque.

(ww) Hoffmann l. c. p. 158.

(xx) Sydenham l. c. p. 85. Quam horrendas ſtragis Variolarum epidemice graſſantium lues in variis Regionibus ſingulis fere annis excitet, ſatis ſemper lugent novellæ, ut taceam obſervatorum in ſuis ſcriptis lamenta, & ne longius abeamus dilecta Alſatiæ, patriæ noſtræ ſuaviſſimæ abunde teſtatur.

poſitio, varii prægreſſi morbi, acuti, præcipue minus bene judicati exanthematici, obſtructiones itidem variæ in ſyſtemate potiſſimum venæ portarum formatæ, plethora commota, & cacochymia corpori inhærens periculoſiſſimis hujus morbi accidentibus facilem ſolent accendere quam citiſſime. Pertinent quoque huc complicatæ cum aliis epidemicis illo tempore debacchantibus (quales ſunt petechiales & aliæ indolis deleteriæ febres) morbis Variolæ; ſtipatæ enim e. g. febribus putridis & malignis, totam humorum maſſam putridâ pariter inhæunt malignitate, quam ſublatâ talis aeris conſtitutione nequaquam produxiſſent. Imo teſte BUTINI (yy) ſufficienter conſtat tempore febrium catarrhalium & rheumatiſmorum potiſſimum infeſtam à Variolis pectoris cavum: ſæpe graſſantibus dyſenteriis, aſſociatæ diarrhœas, dominantibus morbis inflammatoriis naturæ magis phlogiſticæ fuerunt annotatæ.

§. VII.

Quam periculoſa, & cur tam funeſta ſint Variolarum phænomena hactenus eſt demonſtratum, quid à conſuetis hucusque medendi methodis auxilii ſit ſperandum &

(yy) l. c. p. 28.

& levaminis, nunc quoque succincte est discutiendum. Sive vetustissimorum, quales sunt Arabes, qui de hoc morbo primi sunt commentati, sive recentiorum, qui presso pede illorum insistunt vestigiis, eruditissima examinaveris scripta, invenies plerosque, si non omnes, omnem conatum, omne artis suæ auxilium posuisse in eo unice, ut Variolas ad felicem deducerent suppurationem. Sed id inde suis consequuntur laboribus, ut, dum internum profligare conantur hostem, totidem eidem auxiliares transmittant copias, quot ingurgitant remedia, sicque natura, dum maxime intenditur, seipsam perimat, vel nimium inermis hosti suo cedere cogatur. Et præterea quis tam felix ad hunc usque diem ex gratiosis asclepiadei senatus assessoribus est repertus? qui pro lubitu suo moderari novit vires in malignioribus præsertim Variolis? quoties naturæ omnium furentis impetum per antiphlogistica tentasti compescere? quoties nimium languentis socordiam in vanum per stimulantia conatus es excitare? æger interim dum minime sperabas, ad plures est raptatus. At demus etiam irritantium particularum furorem sic à te esse cohibitum, ut ad suppurationem deducta videas universum corpus sordantia exanthemata, ideone actum

ex

exorci faucibus propterea ereptum, optatoque ſecuritatis portu conſidere arbitraris? quantum hercle hallucinaris, ipſum forte blandientis ſanitatis indicium, illae ipſae, quas tanto conamine excitaſti, puſtulae triſtiorem longe mox ſecum trahent malorum catervam. Quid nunc de variis a variis pro Variolarum medela excogitatis dicam methodis? Ut gravior hoſtilis Varriolarum repremeretur impetus, ut mature occuparentur tempora, occaſionesque metuendorum ex iis malorum prudentr ac ſagaci praeverterentur circumſpectione, tam laudabili exarſerunt ſtudio & amore, ſollicitu valetudinis humanae cuſtodes, ut multis vigiliis elaborarent cautrones tam ad praeſervationem, quam curationem Variolarum conſtructas, quibusque corpora a maligno illarum contagio aut defendantur omnino, aut in tempore illius levandi ac mitigandi gratiâ praeparentur. Pro frigido potiſſimum regimine ſtant cum SYDENHAMO alii, alii pro calido decertant cum vetulis & MORTONO, pro mercurialibus alii, alii pro oleoſis &c, &c Anglia ſuo adhaeret HIPPOCRATI, magno & fideliſſimo SYDENHAMO, cujus obſervationes teſtificatae ſunt & aprobatae non tantum per optimos Medicinae Practicos in Anglia, ſed & in aliis Regionibus fecit

rile

ille miracula laudano ſuo ex opio parato ſpinoſoque ſcidis mineralibus, in periculoſiſſimis quibusdam variolis (zz), ſed in ſimilibus caſibus funeſtum ab illorum uſu experti ſunt eventum alii annotante HOFFMANN (aaa), ita ut relicto SYDENHAMO ad alia confugiendum fuerit in ipſa Anglis (bbb); illa namque ipſa remedia diverſos valde produxiſſe effectus Edimburgi memorantur (ccc). Purgantia feliciter in febre ſecundaria adhibuit FREINDIUS, infeliciſſime ea tentarunt alii. Quid de V. S. in genere dicendum? poſtquam pro illa pugnaverunt SILVA, BOERHAAVIUS, TRALLESIUS, aliique, poſtquam LOBBII Angli cum præfatione gallice vertentis & HOFFMANNI (ddd) ſcripta legerimus. Eruditiſſimi morborum Vratislavienſium Hiſtoriæ Authores (eee) decidere non audent, num ſalutaris illa ſit aut noxia: ſimpliciter tamen pronuntiant inutilem, & in quibusdam tantum caſibus ſua-

(zz) l. c. Vanel. anom. Ann 1674. & 75.
(aaa) l. c. p. 169.
(bbb) Obſervat. Edimburg. T. VI p. 145. cit. in Journal helvet. A. 1752. menſ. Auguſt. p. 165.
(ccc) Obſerv. Edimb. T. III. p. 31. & 32. cit. in Journ. helvet. ut ſupra
(ddd) l. c. p. 154. & 173.
(eee) Ann. 1700. p. 166.

ſuadent. Neque conveniunt inter ſe Medici, dum de cathartcicis & emeticis quæſtio eſt reſolvenda. D. GUNDELHEIMER Medicus Berolinenſis, ſingulis binis diebus illa toto morbi decurſu præcepſit ægrotis: hanc methodum approbatam videmus à STAHLIO (fff) Eruditiſſimi Vratislavienſes Medici e contrario judicant incertam (ggg) Omnem ſucceſſûs felicitatem attribuunt multi paregoricis & leniter narcoticis. HOFFMANNUS (hhh) illa vitat, alii aperte damnant. Morronus commendat remedia calida: Itali Medici glacialem ſuadent aquam. Alvum firmiter clauſam per totum morbi decurſum continent timidiores Medici, cordatiores vero enematibus lubricantibus quotidie ſolvunt. Methodus per expectationem curandi quoties proſpero (ſi ſuperis placet) ſint coronata ſucceſſu? & anne plurimi Medicorum non religioni ſibi ducent illam adoptare? Cortex peruvianus laudatur ab aliis hodie, ceu forte idem experietur fatum, quod expertus eſt liquor antivariolosus DOLÆI aut WALDSCHMIDII. Nimis longum foret, ſi cuncta malorum ex Variolis foecundo

(fff) in Differt. de variol & morbill Th. 73 de method malign. febr. Th. 37.
(ggg) l. c. p. 167.
(hhh) l. c. p. 174.

do pullulantium alveo repellendorum media, quæ præscribi alias solent, vellem excutere; infinitam fere solummodo varietatem non tantum in Medicorum sententiis, verum & in remediorum effectibus admirari haud satis possum: obstupescere profecto debet, quisquis videt vel legit viros acutissimo cæteroquin præditos ingenio, diversissimas de eadem re sibi fabricate ideas; aut sanam vix non perdit rationem, quisquis percipit in pari circumstantiarum & casuum concursu ab iisdem omnino remedus toto oppositos cœlo effectus esse productos, dum interim contraria quoque eundem sortita sunt eventum. Si jam relicta tot Medicorum sibi contradicentium opinionibus, consulamus experientiam, in eodem, ubi antea, delabimur abyssum. Condonandum quidem adhuc esset Medicis, si quendam forte successum suis atribuant remediis, sed non tolerandum, si falsis præpostere theoriæ regulis, falsæ pariter praxeos superstruant fundamenta; Hinc prudenter monet STAHLIUS (iii): opiniones ex praxi firmandæ, non praxis ad frivolas fingenda opiniones. Sed claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt. Videantur illi ipsi Authores, qui de Variolis curan-

(iii) Differt. de malignit. indole p. 5.

curandis ſcribentes, varia ſuggerunt remedia, & quantum hisce, ſi ſincere loqui amant, ſi fidendum, ex proprio ipſorum teſtimonio apparebit. Et hinc adſtipulante ſincerſſimo SYDENHAMO (kkk) hbere aſſerere non dubito, plerumque, ſi æger etiam his ſeſe ſubduxerit ductibus, non tam Medico, ipſiusque remediis, quam ſuperſtiti naturæ robori eſſe adſcribendum. Præterea vix annum elabi unum, quo non epidemice graſſantes Variolæ ſtrages ſuas edant longe funeſtiſſimas, res eſt pervulgata, atque omnium novellarum voce querulâ teſtatior. Nullus mihi relictus eſt dubitandi locus, omnes recenſitas modo methodos ab experientiſſimis Medicis in uſum fuiſſe vocatas, & tamen, his non obſtantibus, illarum rabiem haud potuerunt compeſcere. Subinde tam terribilis tamque indomitus fuit Variolarum furor, ut omnia, ſanioris theoriæ & praxi etiam convenientiſſima, omnium applauſu recepta medendi genera fuerint in utilia (lll). Notandum quoque eſt vulgatum illud: duo cum faciunt idem, non ſtatim eſt idem plane; Medicus enim acri pollens judicio, peculiari ſæpe,

(kkk) p. 235 cit. jam in Epocha tertia.

(lll) Eſſ. & Obſerv. d Edinb. T. VII, p. 283 ſit in Joann. Helvet. L. c. p. 164.

ſepe, & ſibi quaſi propriâ methodo extraordinarios in praxi edit effectus, quos alter minus præſtare poteſt; quare etiam non mox peculiaris quædam methodus à quovis temere ad imitationem eſt trahenda. Num forte meliora a therapeutica prophylaxi ſunt expectanda? immortalis BOERHAVIUS in cedro dignis Aphoriſmis tit. de Variolis per miſſionem ſanguinis, per clyſmata, per antiphlogiſtica, per fotus &c. quomodo in ipſis incunabulis peſſimum hoc contagium ſuccenſo quaſi poplite cöercendum, & ſic morbus variolaſus ſine Variolis ſit pertractandus, oſtendit, ſed utinam ipſe, de hujus methodi effectu non plane ſecurus, quique illam experimentis perfici adhuc debere juſſit, tanto potius fruſi potuiſſet otio, ut in ipſam accuratius indagaſſet, & ſane quemadmodum tunc eruditiſſimis ſuis orbi erudito relictis lucubrationibus reipublicæ medicæ, ita etiam nunc omne genus humanum ſibi devinxiſſet. Verum enimvero ſinceriſſime aſſerere non erubeſcit, vulgatâ methodo, nullum niſi ſponte emergere (mmm). Quidquid etiam dicat LOBBIUS, qui methodum BOERHAVIANAM ſuo aſſenſu approbare, & experimentis comprobare allaborat;

(mmm) l. c. Nr. 140.

rat (nnn), notum tamen eſt illam non ſemper felicem habuiſſe ſucceſſum in principe ſcottiæ urbe. (ooo) Eo etiam recidunt, quæ habet KLEINIUS, prognoſis, inquit, dubiæ eſt ſanationis, quia nondum methodus certa eſt detecta. De opiato quodam antivariolico in actis Uratislav. (ppp) ſermo eſt, quod tanquam certiſſimum atque infallibile remedium fœminis gravidis, infantibus, adultisque per aliquod tempus datum, eosdem per totum vitæ decurſum à variolis liberos reddere D. WAGRET Author contendit. Cum vero à prudentioribus & rationalibus medicis, qui rationem petunt & experientiam, teſtante VATERO (qqq) vix fidem inveniat, non operæ pretium judico pluribus illud refutare. Hoc (rrr) perhibetur inquit HARRIS a ſinenſibus præſervare à contagio variolarum unquam contrahendo per totam hominis vitam, utcunque illæ fuerint ita epidemicæ omnibus mortalibus à gadibus uſque ad Gangem & Japonam. Nimirum in ipſo partu, cum infans in lucem ſit editus, ante ſectionem

(nnn) T. I. p. 302 & 316 cit. in journ. helv. l. c. p. 161.
(ooo) Obſerv. T. III. p. 32. cit. in journ. helvet. l. c.
(ppp) Ann. 1718. mai. claſſ. v. p. 1104.
(qqq) in Differt. de method. nov. tranſpl. variol. per inſitionem.
(rrr) In Prælectione de inoculat. variol. impreſſ. cum alia p. 68.

nem vaſorum umbilicalium à placenta, ut & ſectione peractâ ante illorum deligationem, diligenter curandum eſt, ut ſanguis iſte menſtruus & vitioſus, ratus à medicis parens variolarum communis, leni compreſſione exprimatur extrorſum. Hucusque præfatus HARRIS. fides ſit penes authorem; eruditi Medici & doctiſſimus SENNERTUS ſuadent omnino contrarium. Sola experientia eſt, quæ hanc decidere poteſt litem. Celeberrimus HOFFMANNUS (sss) antivariolaceï cujuſdam liquoris injicit mentionem, licet plures illum aſſumpſerint, nihilo tamen ſecius ait copioſis conſperſos fuiſſe puſtulis, vehementiſſimis ſymptomatibus ſtipatis. Experientiſſimi obſervat. Medic. Edinburgenſ. Authores (ttt) dicunt plures fuiſſe præparatos V Sectionibus, purgantibus, & exactiſſimâ diætâ, & his non obſtantibus, correptos fuiſſe variolis confluentibus malignis, cum alii iſdem remediis, alii nullis uſi, nonniſi benignas ſint experti. Me vero quod attinet, hoc ſolum ingenere de variis defendendi corpora à variolarum invaſione methodis breviter & libere enuntio, exactam nimis hoc ſcopo ſuſceptam curam efficere

D aliud

(sss) l. c. p. 169

(ttt) Tom III. pag. 31. cit. in journ. helvet. l. c. p. 161.

aliud ſæpe nihil, niſi quod variolarum morbum in ætatem proveſtiorem differant, & tunc demum præter ſpem & expectationem correptos majori exponant periculo. Et ſic incidit in ſcyllam, qui vult vitare charybdim Quid igitur ſupereſt? perculoſiſſima ſunt variolarum ſymptomata, tam univerſalis eſt illarum rabies, ut nulla cujuſcunque ætatis ſexus, dignitatis, etiam imperialis (uuu) vel regiæ vel principalis habeatur ratio, tam funeſtus exiſtit epidemice graſſantium exitus, ut ſpolientur civibus urbes, ut ex amplexibus parentum rapiantur illorum ſolatia, ut illuſtriſſimæ ſuis orbentur fulcris familiæ, ut fluctuantes ſuis deſtituantur ſucceſſoribus coronæ &c. nihil ſane, niſi, verbo dicam inoculatio divinum illud plane inventum, ſola & unica, tutiſſima, ſalubernmaque funeſtiſſimorum ſymptomatum prophylaxis.

S. VIII.

(uuu) Experta hoc eſt gallia, dum Ann. 1711. menſ. April die 14 irreparabili fato privatam ſe vidit Ludovico Delphino, avo Chriſtianiſſimi Regis noſtri XV. bene nato, 49. ætatis ſuæ Anno Variolis extincto. Expertum illud eſt imperium, dum invictiſſimum ſuum Imperatorem Josephum eodem Anno, eodemque menſe trigeſimo tertio ætatis anno truculentus diripuit Variolarum furor

§. VIII.

Præmiſſa variolarum naturalium analyſi, accuratiorem nunc conſiderationem à me depoſcunt artificiales. Præmittenda tamen prius brevis inoculationis variolarum hiſtoria. Quotquot de ea repetite & conſulere datum eſt Authores & Patronos, in eo libenter conveniunt adunum omnes, operationem hanc chirurgico medicam, vetuſtis ſcholarum lucubrationibus abſconditam, ſedulis recentiorum inveſtigationibus ignotam, inventu non minus quam eventu admirandam, non ex ſagaciſſimorum politioris phyſices cultorum gazophylaciis, ſed ex humili innocentioris & ἀγραφου familiæ penu defluxiſſe, non à doctis in arte apollinea viris, ſed à plebeja rudique gente in nunquam ſatis deprædicandum generis humani adjumentum, in exoptatiſſimum ſæviſſimi & vix non univerſalis morbi ſolamen ſuiſſe detectam (wwww). An vero caſu fortuito, an rationis aliquali deductione, an vago experimento? libentius diſco, quam dico, ne in ſumma rei incertitudine nimium ſciolos ſcire velle videar, quod eruditiſſimi quique ignorare ſeſe ultro fateri coguntur. Primum inocula-

(wwww) Pilarinus in tract. binis da nov. Variol. per manſpl. excitandi methodo p. 11.

culationis Authorem non ita tradit Hiſtoria, ut certi illius aſſerre quidquam poſſimus; licet ne deſit delectus, non deſint, qui inventionis gloriam ſibi arrogare in vanum conantur. Illam a plebe proceſſiſſe verosimili hoc moveor potiſſimum argumento, quod in mundum introductam ſciamus illam absque Doctorum laude, multa & Doctorum & Theologorum etiam cum oppoſitione. Illud ipſum nempe quod univerſæ patrotophiæ accidiſſe videmus infortunium, eveniſſe pariter lugemus inoculationi, ut de neutra, dum de illius origine movetur quæſtio, certi aliquid dicere valeamus; neque hoc mirandum judico, cum enim artium illarum & ſcientiarum, quæ inter ditiores populos florent, & excoluntur indies ortum ſæpe ignoramus, quid miramur? illarum neſcire natales, quæ ex barbaris regionibus ad nos ſunt translatæ; hoc certum tamen eſt & indubitatum, quod, quemadmodum nihil univerſæ Medicinæ decedit ſplendori propterea, quod in illius hiſtoria non noſtrâ tamen, ſed Prædeceſſorum noſtrorum culpâ ſorte & negligentiâ ſæpe ſæpius hæreamus, ita nec quidquam inoculationis officit utilitati, quod primus nos illius lateat inventor. Jam ante ſeculorum aliquot decurſum in ſolennes inductam mo-

mores, & diuturnion uſurpatsone fuiſſe firmatam apud gentes aſiaticas, præcipue circaſſios, Georgianos & proximos maris caſpii incolas teſtatur TYMONIUS Oxon. & Patav M. D. Soc. Regiæ anglicanæ, membrum citatus ab illuſtri DE LA CONDAMINE, & alii (xxx), D. MORTRAYE in ſuo itinerario conſentit, refertque circaſſios aliis populis longe eſſe pulchriores, nullumque variolarum maculis notatum à ſe fuiſſe viſum; lucri ſcilicet, turpiſſimi cauſa inoculationem eſſe inventam aſſeverat, nullâ enim ratione melius ſuarum filiarum noverunt circaſſi conſervare elegantioris formæ ſplendorem quam inoculatione, inoculatas proinde nolentes volentes adjacentibus populis tanquam infortunata illicitæ veneris municipia vendunt (yyy). PYLARINUS M. D. & venetorum mercatorum apud ſmirnenſes judex ac protector, in Græcia & præcipue in Theſſalia primum invaluiſſe tanquam certiſſimum contendit (zzz). Huic adſtipula-

(xxx) Memoire ſur l'Inoculation de la petite Verole.

(yyy) T. II. L. III. pag. 98. cit. in diſſert. bpſ. A. 1731. ſub Præſid. JOANN. FRID. BAUER de problema medicum inaugurale ſiſtens inocular. variol. in utramque part. diſput.

(zzz) Tractat. ſup. de nov. var. &c. l. c.

tur LE DUC (aaaa), Litteræ P. d'ENTRECOLLES inclytæ Soc. Jesu Missionarii, ab antiquissimis temporibus in China variolas sine incisione, per modum tabaci siccatas naribus assumptas volunt esse communicatas (bbbb) Imo jam ann. 1624. chinenſium Imperator Medicos palatii ſui in tartariam miſiſſe legitur, ut ibi operationem, de qua loquor, inſtituerent, id quod etiam factum cum ſucceſſu non poenitendo

(aaaa) In diſſert. de Byzantin. variol. ſuſit. impreſſa Lugduni Bat. cum aliis nempe JACOB. DE CASTRO & GUALTER HARRIS p. 84.

(bbbb) Tom. XX. des Lettr. edif. & curieuſ. ect. à DE LA CONDAMINE. In collectione germanica Literarum Miſſionariorum Soc. J. edit. à JOSEPHO STOECKLEIN ſub tit. der neue Welt-Bott T. I. Nro. 136 de Anno 1715 P. d'ENTRECOLLES dicit, variolas inoculari per medicos ſimuuſes, & quamvis ipſe hanc methodum nequaquam approbet, preſertimque, ſi habere poſſet, pulvinem viperarum addi tamen in veritatis ſolatium eas communicari ſine ullo periculo. In eadem Collectione T. III Nro. 431 refert antiquiſſimum ſinenſium Medicum, qui operationem hanc ceu inutilem & periculoſam rejicit, damnatque Medicos, qui tam periculoſum hoſpitem, qualem credit variolas artificiales, quaſi capitis ſine neceſſitate in aliorum habitu puncturas, ſed non mirandum, ſubjungit, inoculationem ipſi tunc temporis adhuc novam, nec ſufficiente experientia confirmatam, à medicis fuiſſe oppugnatam, ſi ter ſiquidem illos hodie, ſi viverent, credit locuturus.

do (cccc). BUTINI (dddd) asserit missionarios chinenses attestari variolarum insitionem plusquam sæculo uno fuisse in china cognitam, antequam Europæis innotuerit. Clarissimus de VOLTAIRE, inoculationem forte ab ipsis Arabibus ad nos perveniisse credit, quo fundamento me latet (eeee). Incognitam præteritis sæculis semper fuisse multi arbitrantur Europæis, sed, si JURINO credimus, in usu quondam fuit in Walliæ Angliæ Provincia haud multum à nobis remota (ffff). Cuinam vero ex enumeratis hucusque gentibus inventionis gloria præ altera sit adscribenda, quia fama est obscurior, nullis siquidem solidis illustrata monumentis, discutiendum relinquo us & decidendum, quibus plus otii, quam mihi concessum, quique magis, quam ego anxie nimis ejusmodi cavillationibus inhærere gestiunt. Ab incertis & dubiis ad certiora nunc magisque indubitata progredior.

(cccc) Journal helvetique. sept. 1752. p. 307.
(dddd) l. c. p. 89
(eeee) Dans ses lettres philosophiques.
(ffff) Extraits des lettres rapportés par M. JURIN à la fine de sa lettre à M. CALES COTESWORTH etc. à CONDAMINE l. c. p. 3.

§. IX.

Primum inoculationis theatrum in Europa aperuit urbs Byzantina, & quidem ad immortalem sexus pulchrioris gloriam dux fœmina facti extitit. Audiatur oculatus hujus rei testis JACOBUS PYLARINUS, cujus testimonium de verbo ad verbum fidelitet huc transfero: Inoculatio, ait, ex Thessalia in propinqua successive serpendo loca, & civitates in Byzantinam tandem irrepsit urbem; ubi latuit quidem initio per aliquot annos, raro quoque & inter humiliores duntaxat recepta: immaniter autem grassante nuper variolarum epidemiâ, latius innotescere cœpit, nunquam tamen sublimiores ausa est ingredi aulas, donec nobilis quidam, nec obscurus inter præstantiores græcos, & ex antiquo Cariophylorum stipite claros, mihi vero intimioris amicitiæ titulo notus anno salutis 1701, sub hyemis finem seriose me quidnam de hac infectione sentirem, consuluit; & an eandem in quatuor propriis filiis celebrandam præstarem assensum; nam tum temporis lethaliter totam fere civitatem morbus hic invaserat, qui summum ei de natorum salute metum incutiendo, anxiam valde reddiderat. Verum quid ipse super ignota re decernerem nullâ præcedente nuviſſimæ hujus methodi notitiâ, penitus ignorare me dixi,

dixi, ac ſimul operatoris conveniendi copiam petivi. Triduo peracto, cum ad amicum denuo acceſſiſſem, & de eadem materia ſermo iterato inter nos eſſet initus; ecce paulo poſt mulier græca ad decentiam ſatis compoſita cubiculum intravit, quæ totam operationis ſeriem, modum, locum, tempus, cæterasque circumſtantias, ut ego deinceps aperiam, clare ſatis, lateque nobis expoſuit; quanquam ipſa veram ex inſitione excitationis variolarum cauſam haud intellexit: his experimenta, & calus innumeros tuto ſemper & ad ſalutarem eventum perductos annexuit, é quibus aliquot, omnes enim quis potuiſſet in urbe ampliſſima exquirere? veriſſimos eſſe ex aſſertoribus fide dignis deprehendi: idcirco re bene penſitatâ, rationi & naturæ haud ablonam omnino reperi: præſertim autem caſibus jamdictis permotus, amico jam fervidios poſtaliquot dies conſilium iterum expetenti, me haud alienum, ſub levi tamen hæſitantiæ præbui, qua, tanquam dato aſſenſu arreptâ, & de ſervando regimine toto ægrotationis tempore ſatis edoctus, inſitionem, per mulierem græcam in quatuor filiis audacter inſtituit &c. felix operationis eventus mirum quam multas nobiliorum familias ad imitationem traxit, ut hodie ſine hæſitantia præter timidiuſculos aliquos

unus-

unuſquiſque tranſplantationis emolumentum ſentire velit : ſoli turcæ utpote ſuâ de inevitabili fato ſententiâ occupati, alienum ab hac methodo prodentes animum, minuſque dociles illam hactenus neglexerunt (gggg). Quamvis ſi IACOBO DE CASTRO fides adhibenda, turcæ & alii indocti & barbari, qui primo in illam declinabant, nunc temporis conſcii proſperi eventus avide ipſam amplectantur & æque illam ac alii collaudare ſtudeant (hhhh). D. BUTINI præfatæ modo fœminæ græcæ famam adeo increviſſe dicit, ut ſolo Anno 1713. ſex millia hominum inoculaverit (iiii). D. DE LA CONDAMINE refert anno uno decies mille fuiſſe feliciter inoculatos (kkkk), viditque (llll) Ann. 1732, qui

(gggg) ſic PYLARINUS l. c. p. 12 & ſeqq. Ann. 1721. Jugdun hanc impeſſ. Extat & parvum opus vernacule impreſſum A. 1715. cum approbatione locorum illius inquiſitoris, teſte ipſ. DE LA CONDAMINE l. c. p. 6. ſub titulo: nova & tuta variolas excit. per tranſpl. methodus. D. D. MAITTAIRE Britanniq. mor. de Mars & d'Avril 1714. p. 186. meminit quoque epiſtolæ Pylarini ad Reg. ſoc. tranſmiſſæ & tranſact. philoſ. inſertæ Anno 1716.

(hhhh) in Diſſ. inoculationis ſive tranſpl. variol. impr. cum 2 aliis p. 27.

(iiii) l. c. p. 30.

(kkkk) l. c. p. 9.

(llll) l. c. p. 6.

qui ſibi gratulabantur de eo, quod parentum ſuorum juſſu operationi huic ſubjecti, periculoſa variolarum ſymptomata, conſuetaque feliciter evaſerunt cicatrices. Ex horum numero fuit ANTONIUS LE DUC, qui elapſis abhinc novem annis, laurea doctorali redimitus in celeberrima univerſitate Lugduno-batava circa A. 1721. eruditam conſcripſit diſſertationem de Byzantina variolarum inſitione, eodem fere tempore, quo variolarum inoculatio in Angliam fuit introducta; in hac diſſertatione conſentiens PYLARINO mentionem injecit quoque ſuperſtitionis, qua uti ſolebat Theſſala illa religioni græcæ addicta, è patria Byzantium profuga mulier. Vafra nempe & aſtuta, ut ignaris ſuam magis commendaret artem, arcanum hoc ſummum, nulloque pretio perſolvendum, licet in patria ſua commune, ſibi tantum a B. Virginis fano revelatum prædicabat. Utque fidem dictis adderet, nunquam niſi cruciatim vulnuſcula excitabat, verba quædam etiam ſubmiſſâ voce in ſpeciem religionis (quaſi propitium ſibi revelatricis numen invocaret) interoperandum inſuſurrabat: cereos inſuper binos ferio ſemper à ſingulis, quibus variolas inoculaverat, expetebat; aſſerens ſe illos in patriam mittere, ut ante aram Virginis ardescent: ſed hæc, ſane

fane nonnisi apud ignaros pondus habebant, verum cum epidemice grassantes Ann. Sæcull hujus XVIII primo variolæ omnem contra urbem constantinopolitanam effunderent rabiem, eamque assiduis exhaurirent funeribus, ut temporum mitigaretur atrocitas, labentesque ac perditæ urbis vires corrigerentur, a nobilioribus quibusdam græcis, in filios suos feliciter tentata per mulierem nostram operatio altius caput coepit extollere, Fortunatum enim in illustribus exemplis mirati eventum, unanimi fere consilio græci omnes ad inoculationem, ceu sacram anchoram confugerunt. Armeni etiam, quorum ingens est in vastissima urbe numerus, felicitate successus excitati id ipsum fecere, tandemque & Europæi omnes, qui franci communi voce appellantur ad idem consilium adducti, sic ut à plurimis annis passim & ubique apud omnes christianos Byzantii degentes, sine ulla formidine & fausto semper cum eventu inoculatio exerceatur. Omnes autem hi mulierem dictam ut inoculationem institueret, adhibebant. Hucusque LE DUC, qui ab eadem muliere se inoculatum attestatur (mmmm). EMMANUEL TIMONIUS,

(mmmm) l. c. p. 25. & seqq. D. Harris in Differ
tion

US, qui poſt utiles in variis regionibus infinitas peregrinationes, domum redux, invitabatur eſſe turcarum imperatoris archiater, ſed iſtum honorem periculoſum, prudentia præditus, declinabat, primus eſt, qui inoculationis hiſtoriam ſcriptis mandatam D. WOODWARD Conſtantinopoli Ann. 1713. tranſmiſit, quæ poſtmodum inſerta eſt tranſactionibus phil. Nro. 339. 10 hac epiſtola confirmat, octo annis, quem conſtantinopoli degebat, ne unum quidem, qui inoculati ſunt, absque ætatis, ſexûs & temperamenti differentia, periſſe, cum é contra media pars illorum, qui naturalibus erant infecti variolis, fatis ceſſerint (nonn). Hoc utique hyperbolicam ſapit exaggerationem. D DE LA CONDAMINE *l.c. p* 4. de duobus tantum loquitur, quos periſſe refert, & hoc quidem non operationis defectu, ſed præcedentium morborum culpâ, ambo enim morbo comitiali, ſcrophulis & lue

---

jam cit. p. 60. accepiſſe dicit à mercatore, qui 9 annos vixerat Aleppi in ſyria, quod exor conſulis gallici ſpectandos ibi præbuerit ſues ſuos liberos, qui inoculationem ſubiverant conſtantinopoli eunc temporis, quo munus ſuus fuit ſecretarius Marchionis de Chateau neuf legatione tunc fungentis apud turcarum imperatorem, Chriſtianiſſimi Regis nomine.

(nonn) Journ. Britannique mois de mars & d'avril 1754.

ſue hæreditaria laborantis contra operatoris vel operatricis ſententiam parentum, qui liberati volebant gemino hocce gravi onere, ſuaſu ſunt inoculati; periculo quidem omni jam videbantur defuncti, ſed ſuperveniente lethali dyſenteriâ trigeſimo quarto ab operatione facta die unus, alter marasmo die quarto poſt inoculationem eſt extinctus. *vid.* TIMONIUM *l. c. p.* 31. Dolendum eſt virum hunc in arte ſalutari verſatiſſimum & immortali dignissimum memoriâ, qui inoculationis methodum pluſquam decem exercuit annis, quique plenam habuerat & philoſophicam boni & mali cognitionem, eo uſque proceſſiſſe, ut in ætate adhuc florentiſſima teſtante HARRIS *l. c. p.* 59. mortem voluntariam ſibi conſciſceret.

§. X.

Relictis tribus exercitatiſſimis medicinæ Doctoribus, quorum teſtimonium eo minus videri debet ſuſpectum, quoniam illorum ſinceritas orbi erudito ſatis ſuperque eſt perſpecta. Sane quisquis illorum examinaverit ſcripta, inveniet facile, celeberrimos hoſce viros ita publico ſua, diverſis temporibus, ſine ullius lucri aut quæſtus faciendi ſuſpicione, de inoculatione communicaſſe ſenſa, ut ne ullus alterum

in

in ſuis citavere operibus. Præterea cum artifici in ſua credendum ſit arte, extra omnem dubitationis aleam, quæ hactenus citata ſunt, ponuntur. Hinc quoque digna eſt judicata hujus rei Hiſtoria, quæ in *transactionibus Anglicanis l. c. Ephem. N. C. cent. V. obſ* 2. *Actis erudit lipſiens. A.* 1714. *mens. Aug. & Vratislav. A.* 1717. *claſſ V.* non ſine approbatione recenſeretur, *vid.* VATER *in diſſert cit. p.* 17. In Angliam ergo promoveamus nunc pedem. Dictum quidem eſt & Timonii & Pylarini epiſtolas transactionibus Anglicanis eſſe inſertas, ſed inoculationem propterea nequaquam ibi locorum fuiſſe vocatam in uſum, donec generoſum illuſtris fœminæ factum univerſam fere in lui ſequelam traxerit nationem. Annus erat 1717, quo D. MONTAIGU Legatus à Potentiſſimo Anglorum Rege ad Portam turcicam mitteretur, in ipſius conſortio erat propria Legati uxor, nec non celeberrimus, & in arte chirurgica exercitatiſſimus D MAITLANDS. Prædicta Dna Montaigu pro innata ſexui ſuo utili tamen ſubinde curioſitate, una cum chirurgo ſuo variolarum inoculationem, rati nesque omnes attentioni expiſcabatur ſtudio. Res ab initio videbatur utrique non imitatione ſed uſu digna; verum de rei veritate, feliciſſimo-

ſimoque ſucceſſu plane convicta Legati uxor in filiolo ſexenni unico operationis iſtius fecit periculum, tam fortunatis auſpiciis, ut apparentibus ad ſummum, centum tantummodo puſtulis, optimæ puer ſpei absque ullis ſtigmatibus, tanquam funeſtis ſæpe ſæpius variolarum naturalium reliquiis, omni ſalvus ſoſpesque evaſerit diſcrimini; animata tam felici eventu ſagaciſſima optimaque fœmina trimeſtrem quoque filiolam ſubjeciſſet inoculationi, niſi prudente D. Maitlands conſilio, aut divinâ potius ita diſponente providentiâ, ad imitationem Angliæ ſervata fuiſſet univerſæ. A. 1722 reddita patriæ, optatiſſimique adhuc ſucceſſus conſcia Dna de MONTAIGU filiolam ſuam per feliciſſimam dexterrimi Maitlands manum ſine mora fecit inoculari; inoculatam puellam præſentes experientiſſimi illuſtris Collegii Londinenſis Medici, pluresque civitatis illius Matronæ domi ſuæ ludentem, & poſt paucorum dierum intervallum absque graviorum ſymptomatum ferocia convaleſcentem non ſine ſtupore conſpexerunt (oooo). ſingulare hoc ſine pari exemplum, ſucceſſu felicio-

ri

(oooo) Vid. MAITLANDS erſter Bericht von Einpfropfung der Blatteren de la coudam. Butin. journ. Brit. &c.

ri comprobatum, non ita permanere potuit occultum, ut non brevi Anglorum plurimos, quorum ingenium rerum novarum eſt aviditſimum, in ſui admirationem raperet & imitationem. Exactius tamen paulo poſt ad incudem vocari meruit, ab eruditiſſimo Medicorum Londinenſium collegio inoculatio, experientia in ſex ad mortem condemnatis eſt inſtituta; *Journal Britannique l. c. p.* 389 id addit, quod & in 5 ſcholæ Parochialis de St. James infantibus hæc experientia inſtituta. Ex 6 illis quinque feliciter variolis affecti, ſextus vero ut jam infectatus & vel ideo non infectus, cum reliquis, quam non meruerat, adeptus eſt libertatem. Sereniſſima Walliæ Princeps, Auguſtiſſima Angliarum Regina ſummâ animi & conſilii maturitate adhibitâ, poſtquam plurimi fortunam ſuam periclitati, ſalvi & incolumes evaſerunt, nullique expoſiti diſcriminis aleæ, ab inflammato variolarum furore erant liberati, Sereniſſimarum Principum filiarum ſorumque, & Sereniſſimi Walliæ Principis, ſalutem operatoris chirurgi curæ ſub directione pariter & approbatione D. D. SLOANE tradere, ancipitique non amplius inſitionis variolarum caſui committere nulla dubitavit. Id quod utique ad ſummum honoris gradum evexit novam inoculandi

methodum, rapuitque in fequelam Anglicanam Nationem fere univerſam, eo magis, quo glonoſiores illius à famigeratiſſimis in orbe literario Medicis SLOANE, FREIND, ARBUTHNOT, JURIN, MEAD &c decantati fuerunt triumphi. Novum præterea operationi adjecerunt pondus eruditiſſimi Medicinæ Doctores (inter quos præcipue eminet D. SHADWEL) imo plures etiam Angliæ Theologi, inter quos primum recenſeri meretur Epiſcopus Salisburyenſis, qui partim ſuos fecerunt inoculari infantes, partim ratione & experientiâ fundatam hancce methodum in publicis ſermonibus laudatam & approbatam omnibus ad imitationem propoſuerunt (pppp). Penetravit quoque nova hæcce methodus in Angliam novam, eo videlicet tempore, quo urbs Boſtonia contagioſis laborabat & vexabatur miſerrime variolis, commerciorumque rationes labefactatæ omnino evertebantur; verum enimvero acerbioribus ibidem preſſa fatis, diris & imprecationibus expetebatur, & ita dilacerabatur, ut urbs univerſa in tumultum exardiſcens gravioribus motibus ægerrime tandem compreſſis conquaſſaretur. Londini quoque

(pppp) Vid. DE LA CONDAMINE l. c. p. 8. & 9. BURNI l. c. p. 90.

que nec Auguſtum Reginæ exemplum, nec tantorum virorum authoritas, in Regno variis factionum contrariarum procellis agitato, & rationi & experientiæ imprudenter contradicentium ora poterat ita obturare, ut non etiam duo Medici parum aut nihil inter eruditos noti & Pharmacopola turpi, ſine dubio, lucro, non generis humani commodo inſervientes, tanquam pro ara & ſocis acerrime contra inoculationem decertarint, quin aliqui eouſque effrenatam criminandi extenderint libidinem, ut in publicis ſuggeſtibus modo iram Dei per inoculationem contra totam nationem provocari, modo dæmonis ope patientiæ exemplar Jobum hac maledictione fuiſſe caſtigatum, & quæ neſcio, ſexcenta alia, ratione & experientiâ deſtituti, humani generis ſaluti invidentes, prurientes auribus magiſtri ore temerario effutire non erubuerint; ſed adeo non, quam tantâ quæſiverunt aviditate, conjunctam cum ſocro gloriam invenerunt, ut nullâ habitâ impudentium & obſcurorum ejuſmodi virorum vociferationum ratione inoculatio hodie majus majuſque ſumpſerit incrementum (qqqq). Ex com-

 puto

(qqqq) Lettre de M. Antand rapportée par M. de la Coste, lettre à M. Dodard p. 69. cit. à oſt. ad Condam. p. 9.

puto à D. D. SCHEUCHZERO inſtituto ab annis 8 apparet, ex 897 inoculatorum numero, 845 perfecte Variolis fuiſſe infectos, 13 quibuſdam tantum fuiſſe tentatos ſymptomatis, in 39 vero nequidem unam apparuiſſe puſtulam, & ex tanto numero nonniſi 17. fuiſſe mortuos; cum tamen mortuorum libri abunde probent iiſdem annis duodecimam mortuorum partem variolis fuiſſe extinctam. Non minus propagata in novam Angliam inoculatio exiit utilis. Ex 282 Ann 1721. 1722. inoculatis, 6 ſolummodo ſunt mortui. Si hoſcennumeros cum prioribus conjunxeris, apparebit ex 1179 inoculatis, 23 poſt operationem periiſſe, ſive 1 ex 51. D. DE LA CONDAMINE p 5. l c refert plura millia fuiſſe inoculata in Anglia ſine ullo infauſto accidente. Ex relatione D D JURIN Regiæ ſocietatis Secretarii qui A 1724. exactam dedit novæ hujus in Anglia methodi ſive proſperi ſive ſiniſtri eventus deſcriptionem apparet: cum antea modo ſeptimam modo ſextam, modo etiam quintam variolis naturalibus infectorum partem dira hæc peſtis abripuerit, jam vero ex inoculatis vix 1 p. 91 vix uni inſertionem mortis cauſam extitiſſe; licet enim inoculandi methodus tunc temporis necdum ſummum ut hodie perfectionis adepta fuerit apicem, ſatis tamen hactenus non

eſt

eſt probatum, artificiales variolas revera mortem cuipiam attuliſſe. Fateor quidem nimiam ab initio inoculationis patronorum exaggerationem feciſſe multum, ut operatio penſitatis tantum omnibus cautelis & circumſtantiis utiliſſima, vagis & plerumque infauſtis experimentis in ſubjectis vel robuſtis vel minus bene diſpoſitis inſtituta ſibimetipſi fuerit funeſtiſſima. Id quod experta eſt methodus noſtra in filiis Ducis de BRIDGWATTER, comitiſque de SUNDERLAND, & aliis quandoque familiarum illuſtrium infantibus, in quibus inſtituta operatio infauſtum fortuta eſt eventum. Acceſſit & illud, quod inoculatio funeſtior foerit in Irlandia, quam in Anglia; ſiquidem ex 24 inoculatis 3 perierunt. Pulcherrimam hanc nuper elabi permiſerunt occaſionem, cum medicis quibuſdam & pharmacopolis, antioculatores; vociferabantur enim quidquid in buccam, contra novam hanc methodum, conſuetos mortuorum libros adulterabant, quos naturales extinxerunt variolæ, ab artificialibus enectos clamabant, uſque adeo, ut Magiſtratus decreto partium ſpiritu diviſi, nonniſi ſub certis reſtrictionibus, quam veram potius dixero prohibitionem, fuerit permiſſa haec operatio, eo ex capite quod non à nova variolarum naturalium inſultu præſervaret;

licet, cum ad experientiam provocarent, antioculatoribus hæserit aqua. Inde eruditissimi quique & prudentissimi consultum duxerunt, tempus illud expectare, quo longa experientia cæcutientibus noctuis plus suppeditaret luminis. Sic pressa quidem, non penitus tamen oppressa fuit inoculatio in Anglia, sed mox renovata in America. Missionarius quidam ex carmelitarum ordine, cum videret in America meridionali mediam sui gregis partem à variolis epidemice grassantibus, ita ut nequidem unus evaderet, jam esse abreptam, adhibito in vanum omni remediorum genere, ad inoculationem, cujus nonnisi superficiariam rudemque ex Novellis Europæis possidebat cognitionem, duræ, ut ita dicam, tractus necessitate confugit, & reliquam feliciter partem mortis faucibus eripuit. Eundem alius ejusdem ordinis Missionarius expertus est successum in littore del Rio Negro, & in urbe para lusitani, qui paulo post in alia epidemia Provinciam illam devastante operationem saluberrime instituerunt. Anno 1738. lethale variolarum venenum ex Africa, quo nescio infausto sydere, translatum in Angliam novam, tantam in Carolina meridionali edidit stragem, ut ex 5 vix fuerit unus, qui non pestiferæ hujus morbi succumbe-

cumberet violentiæ. Ad hanc redacti extremitatem incolæ, quam ooo ita pridem dirs & execrationibus profcindebant inoculationem nunc ambabus, ut ajunt, amplexi sunt ulnis, & in plusquam 800 tam feliciter illam mensibus Julii, Junii & Augusti, tempestate anni morbis maxime inflammatoriis contrariante instituerunt, ut nonnisi novem vel unus ex 89 fuerit mortuus. Moti tam fausto successu habitatores fere in universum jam inoculandi susceperunt methodum Eandem pari cum eventu adoptavit Pensylvania. Ex mauris 300 in Insula S. Christophori Nobilis cujusdam jussu inoculatis ne unus quidem perit. Ex 1970. in Nova Anglia Ann. 1752 operationi subjectis, 24 albi *i. e.* Europæi & 7 ex 139 nigris *i. e.* mauris perierunt; diversos hosce combinando numeros, apparet ex 3209 inoculatis, 40 sive 1 ex 80 fuisse mortuos. Publicus de tam prospero inoculationis eventu rumor, brevi propagatus est per Angliam universam; revocata proinde posthuminio, de novo civitate donari, omnibusque privilegiis condecorari promeruit; & quoniam majoribus cum cautelis est exercita, quam alias, minor vel fere nullus etiam extitit funestorum accidentium numerus, intra 12 annorum spa-

tium fere bis mille hanc ſubierunt operationem viconiæ & in ipſius vicinia, in comitatibus SUSSEX & HAMPTON. Toto hoc tempore & ex hocce numero teſtante D. D. LANGRISH nonniſi 2 mulieribus gravidis contra medicorum conſilium inoculatis inoculatio extitit fatalis. Ex 1500 per celeberrimos Angliæ chirurgos inoculatis, 3 occubuerunt. D. RANBY, qui ſolus duas tertias hujus numeri inoculavit circa A. 1747 ne unum periſſe affirmat, & 1752 inoculatorum à ſe numerus ultra mille jam aſcendebat, quin ullus fuiſſet mortuus. Translata inde nova hæc methodus in ſcotiam, renovata in Irlandia, ubique inſtituta & propagata fortunatiſſime. A. 1746 fundata eſt Londini Domus charitatis dicta, partim inoculandis, ad compeſcendum hocce remedio naturalium variolarum furorem, partim ad ſuccurrendum iis, qui naturalibus ſunt infecti deſtinata. In hac ipſa Noſodochii Eccleſia, in hac ipſa cathedra epiſcopus vigornenſis A. 1742 in favorem inoculationis ad conſertum concionatus eſt populum, qui ante 20 Annos inoculationem tanquam novum obſtetricante Diabolo editum in plenam lucem partum eſt deteſtatus. Hic ipſe epiſcopus mutatâ nunc ſententiâ, felici ſucceſſu convictus confirmat, quod

quod ex diario Britannico jam allegatum fuit, ex 1500 nempe percelebrimos practicos inoculatis, 3 solum perisse &c. ita D. WINCHESTER expositorum infantum (des enfans trouvés) chirurgus ex 186 unum tantummodo perdidit, & itidem ex 370 unica operatio fuit infausta. D. TREWIN ex 300 unum notat mortuum. Salisburiæ ex 422, 4. Blandfordi ex 309, 3 solummodo post inoculationem periisse reperiuntur (rrrr). Iuvat hic apponere tabulam ex KIRKPATRICK *libr. Analyt. inocul. in Diario Britannico mois de Mars & d'Avril* 1754. *p.* 393. excerptam.

(rrrr) vid. DE LA CONDAMINE. Journal Britannique & Helvetique.

	Inocul.	morts.
Angleterre 1721. 1728. - -	897	17
Nouvelle Angleterre 1721. 1722.	282	6
- - - - - 1752.	2109	31
Dublin 1723. 1726. - -	24	3
Caroline 1738. - -	800	9
S. Chriſtophle - -	300	0
Hampshire, Suſſex & Surrey 1740. - - -	1500	2
Mrs. Ranby, Midleton & Hawkins - - -	1500	3
Blandfort & Dorſetshire -	309	3
Salisbury - - -	432	4
Hôpital de l'inoculation à Londres - - - -	309	2
Enfans trouvés - - -	186	1
Mr. Winchelter à Londres	370	1
Mr. Trewin à la Rye - -	300	0
Total	9308.	82.

Novum quoque inoculationi conciliavit ſplendorem & majorem inter eruditos æſtimationem Illuſtriſſimum Serenissimorum Principum WILHELMI, HENRICI, FRIDERICI filiorum Walliæ Principis exemplum qui Anno 1754. die Octobr. 30 huic operationi felicissime ſunt ſubjecti, poſtquam prius lenibus medicamentis, exiguis venæ ſectionibus, & debito regimine fuiſſent præparati. *Vid. la clef du cabinet Decembre 1754.*

1754. p. 405. In procinctu quoque ibidem dicuntur esse Serenissimæ Principes LUDOVICA & CAROLINA præfatorum Principum sorores, ut, si necdum factum est, mox subeant inoculationem. Quod vero successûs hinc inde funesti attinet differentiam, attribui illa potest vel materiæ plus minusve malignæ pro inoculatione usurpatæ, vel neglectis pro debita præparatione, & servando regimine cautelis, uno verbo diversis inoculatorum dexteritatis gradibus, maxime vero illorum temeritati, qui inoculationem tentarunt in subjectis morbosis vel actualibus detentis morbis; id quod Thessala illa mulier constantinopoli quondam ad scrupulos usque observavit, necessariæque huic attentioni omnem operationis felicem adscripsit eventum (ssss).

§. XI.

Ex Anglia nunc in Galliam & reliquas Europæ provincias discedamus. Primus qui in Gallia cognitam fecit inoculationem, est D. D. DE LA COSTE in Epistola

(ssss) Ex computo à D. DE LA CONDAMINE instituto apparet ex 6398 in Anglia inoculatis 17 solum creditos fuisse ex operatione periisse, sive unum ex 373. p. 22, 23.

ſtola ad D. D. DODARD primarium Chriſtianiſſimi Regis Medicum tranſmiſſa, & A. 1723 publici juris facta, cum approbatione D. BURETTE facultatis medicæ Pariſienſis Doctoris. In hac mentio injicitur novem celeberrimorum Sorbonæ Doctorum, qui novam inoculandi methodum licitam eſſe, atque experimentis confirmari poſſe declararunt. Approbarunt illam pariter famigeratiſſimi & experientiſſimi Medici Pariſienſes; D. DODARD cum ſuo ſucceſſore D. CHIRAC; D. HELVETIUS primus Chriſtianiſſimæ Reginæ Medicus. D FALCONET, D. VERNAGE &c. Ejusdem ſententiæ eſt celeberrimus D. ASTRUC Monſpelienſis quondam, nunc collegii Regii Profeſſor, Regique à conſiliis Medicis, qui operationem hanc nullis omnino periculis ſtipatam eſſe, & maximopere ſeſe gaudere, ſi in uſum Pariſius vocaretur, aſſeruit. An. 1724 D. NOQUEZ Medicus Pariſienſis D. D. JURINI de inoculatione opuſculum in Gallicam linguam tranſtulit, auxitque eruditâ in favorem inoculationis apologiâ, quæ à publico quidem cum applauſu recepta eſt, ſed, dum methodus ipſa in praxin deducenda videbatur, repentinus aſt falſiſſimus ex Anglia de infelici operationis eventu in urbe Boſtonenſi rumor,

pari-

Parisis diffusus & exaggeratus, totum hoc lilaberrimum interrupit negotium. Ipse Fraciæ Regens Aurelianensium Dux, scientiarum & artium protector, inoculationis methodo favens, vix è vivis excessit, & jam in scholis Medicorum contra inoculationem propugnatur & velut è cathedra negative decidtur, referta calumnis, nullisque suffulta rationibus Thesis: ergo variolas inoculare nefas (tttt). Nemo erat tunc temporis, qui afflictæ inoculationis susciperet patrocinium, nemo, qui exactam hujus operationis haberet notitiam, nemo, qui objectionibus torrentis ad instar occurrentibus solide respondeiet. Aliter longe res sese habet modo; non tantum celeberrimi Medici, sed & profundissimi Theologi novem splendissima sorbonæ lumina jam pro nova inoculationis methodo proiuntiarunt, quamvis sola scrupulosis sufficere potuisset severissimi Inquisitoris Veneti approbatio, præfixa

(tttt) Quæstionis Author theologum ex parte agit non medicum dum tanquam peccatoriam hanc operationem velut è cathedra damnat. Sed quemadmodum rideres Theologum, qui operationem hanc velut sanitati nocivam proscinderet, ita nunc partes mecum ride Medicum, qui illam dente theologo rodit ut peccatoriam, dum favorem nobis habemus sorbonam & inquisitorem.

xa PYLARINI de inoculatione opuſculo. His tamen non obſtantibus, quod deplorandum eſt humanæ infirmitatis & ſimplicitatis argumentum, reperire datur multos, qui, quidquid in Turcia vel aliarum Religionum ſcholis inventum, aut ſaltem ab ipſis approbatum, temere damnare & tanquam longe pernicioſiſſimum execrari non verentur. Tantum nempe valent ſiniſtra, altiusque infixa menti præjudicia. Celeberrimus D. HECQUET juratus omnis in Medicina novitatis inimicus conſcripſit paulo poſt diſſertationem, cui titulum præfixit: Raiſon de doute contre l'inoculation ſive Ratio dubitandi contra inoculationem; mirandum, quam incredibili pertinaciâ vir cæteroquin doctiſſimus in ea declamet contra novam inoculandi methodum. En breve querelarum & injuriarum compendium: Antiquitas male fundata eſt, operatio falſa, iniqua, ſine lege, duplici ex capite reprobanda, quia eſt contra creatoria providentiam, quia non præſervat à naturalibus variolis, eſt contraria legibus, non Medicinæ ſed magiæ potius conformis &c. Notatu digna eſt D. D. BURETTE cenſoria Regii adjecta huic operi approbatio, dum opus hoc & contentas in illo obſervationes omnino reſpondere antiquæ Medicinæ praxi atteſtatur. Eruditiſſi-

tissimum nuper de hac materia edidit tractatum illustris DE LA CONDAMINE, quem in publico virorum doctissimorum Academiam Regiam scientiarum exornantium consessu Parisiis eum unanimi præsentium applausu prælegit; an vero res in solo subsitterit applausu, ignoro. Forte accidit illi, quod facundissimis sæpius obvenit oratoribus, ut dicentibus quidem applaudentes, approbent omnia, sed utut à semetipsis approbata nunquam tamen trahant ad imitationem. Sic & in Germanorum terris hujus curæ exemplum hactenus constat nullum præter illud, quod in *Act. Vratislav. A.* 1717. *Mens. Aug. class. V. p.* 187. *ex* D. LOIGH *Histor. Tussis* memoratur, cit. à VATERO *in dissert. allegt.* juvenis cujusdam nobilis, in quo cum emolumento hæc operatio adornata est Viennæ. Et illud, quod habet HEISTER citatus in *diario helvetico mens. Aug.* 1751. *p.* 174. qui operationem Hanoveræ institutam asserit. Anno 1724 ab Imperatore Chinensium Medicos in Tartariam missos esse, ut disseminarent variolas, scribit P. D'ENTRECOLLES, è voto quoque illis cessisse missionem istham, facilis inde est conjectura, quoniam equis & rebus pelliceis, quæ tartarorum thesauri sunt, donati in patriam redierunt.

Anno

Anno 1749, quæ rariſſimæ apud Genevenſes exiterunt alias variolæ, nunc degenerarunt in epidemicas, ſuumque ita continuarunt furorem, ad Annum uſque 1751, ut toto hoc tempore decima certe pars (quæ communis fere eſt proportio conſuetusque fere cenſus) variolis naturalibus infectorum ſuccubuerit. Horum è numero cum multæ eſſent perſonæ, chariſſima familiarum pignora, dici vix poteſt, quanto perculſa terrore fuerit urbs univerſa. Virgo interim quædam, reliquis animoſior, unica cujusdam ex Magiſtratu filia dilectiſſima, ſepoſito panico timore Anno jam præcedente aliis ad exemplum ſemetipſam ſponte ſubjecit inoculationi, Exoptatus, qui reſpondebat, ſucceſſus cunctorum in ſe ora convertit & oculos, rapuitque non paucos excuſſo metu in ſui ſequelam nullo unquam tempore pœnitendam; experientia dein facta ſuperiorum permiſſu in filiis ſpuriis eventu lætiſſimo. Magiſtratus ipſe bono publico ſemper invigilans penſitatis obſervationibus, revocatis ad trutinam experimentis approbavit inoculationem tanquam utiliſſimam. Theologi pariter viri eruditi illam haudquaquam auſi ſunt condemnare, quin illorum conſilio inducti plures avidiſſime uſque in hodiernum diem ſine ullo ſiniſtro caſu.

caſu, cum proventu jucundiſſimo hanc ſuſceperunt methodum, miratique ſunt illos, quos variolarum nuperrime terror ſollicitaverat nimium, nunc à morte quaſi ad vitam, à deſperatione ad ſpem, ab exitio ad ſalutem fuiſſe revocatos, ſicque triumphantes viderunt ſervatos civitati ves, amantiſſimas proles familis, optimæ ſpei & expectationis adoleſcentes Patriæ. *Diarium Helveticum mens. ſept. ann.* 1754, *p.* 248. inoculationem jam quoque Lauſannæ receptam & intra annum, 14 fuiſſe inoculatos commemorat. D. DE LA CONDAMINE ex hoc ipſo fere momento, quo erudito orbi ſuum communicavit tractatum, ſe percepiſſe aſſerit, inoculationem maximum facere progreſſum in Batavia, & D. D. TRONCHIN Genevenſem, celeberrimum & felicſſimum Amſtelodami practicum illam optimo inſtituiſſe cum ſucceſſu, ita, ut ubi populatia adhuc obſtarent præjudicia, illuſtriſſima cujuscunque ætatis, ſexus, & dignitatis exempla ſummam inoculationi jam conciliaſſent authoritatem (uuuu). Et hæc ſunt variæ

(uuuu) De his omnibus vid. DE LA CONDAMINE JOURNAL HELVETIQUE & BRITANNIQUE, BUTINI, ex quibus hæc ſunt deſumpta & Novellas hujus Anni quæ referunt, Pariſiis inoculationem jam eſſe exercitam cum ſucceſſu optatiſſimo.

famoſiſſimæ inoculationis hiſtoriæ viciſſitudines. An plura expertus eſt fata jeluitarum cortex, certiſſimum in febribus intermittentibus præſidium? an pluies perpeſſus eſt ſpecificus veneris domitor mercurius contradictiones? an pluribus expoſitum eſt controverſiis arthriticorum ſolamen Antimonium? antequam illorum uſus fuerit ab univerſo ſenatu aſclepiadeo receptus?

§. XII.

Sed ne quidquam relinquatur intactum, aut ne eſſentialis Hiſtoriæ pars deſideretur, danda quoque eſt clara & diſtincta inoculationis idea, nec non enumerandæ ſunt diverſæ illius exercendæ methodi, ut, qui nonniſi rudem & imperfectam hactenus habebant illius notitiam, perfectam nunc acquirant cognitionem. Variolæ artificiales, Inoculatio, transplantatio, inſitio latine, græce ἐμβολιασμὸς, inoculation de la petite verole gallice, ſineníium linguâ Tchung-Teu, germanice das Blatter Beſſen, Kinds-Blatter, Barblen, oder Pockhen Impfen, einpropffen, Kinds-Blatter Saat, eſt operatio Chirurgico Medica, qua materia variolarum, non malignarum, ex corpore variolofo in aliud ſanum & prævie rite diſpoſitum transfertur, ſimilesque vario-

variolis naturalibus puſtulæ in iis excitantur. Notandum ante omnia communicatas per inoculationem variolas nihil omnino habere commune cum aliis transplantationibus ſympatheticis, quibus veteres morbos ex uno homine in alium vel in bruta vel in res inanimatas nullo prorſus intercedente effluviorum contactu & communicatione transferri poſſe crediderunt; rident hæc ſaniores & rationales phyſico-Medici Recentiores, tanquam partim ſuperſtitioſa, partim etiam falſa & fabuloſa; nullasque alias admittunt ſympathias & tranſplantationes, niſi quæ per effluvia, ab uno corpore in aliud, & id quidem intra tranſpirationis & activitatis ſphæram poſitum explicare poſſunt: Ab his tota, quanta eſt, differt, de qua nobis ſermo eſt, variolarum tranſplantatio: naturalis illa omnino eſt, nullius imaginationis, credulitatis aut ſuperſtitionis ſuſpecta. Crediderunt aliqui reperiſſe, quam neſcio, affinitatem inter variolarum inſertionem & tranſfuſionem ſanguinis ex uno animali in aliud: verum infinita utrimque intercedit differentia; in uno enim caſu venis infunditur, ibique circulatis cogitur certa quantitas humoris heterogenei, crudi, & ſpiritibus ſubtilioribus privati, qui in omni genere imo & ſpecie omni, forte & omni

omni individuo ſingularem poſſident caracterem : In altero autem caſu per unam aut alteram materiæ præparatæ, & ab ipſa natura ad debitam maturitatem perductæ guttam nil procuratur aliud, niſi ſpecialis quidam motus inteſtinus, unde ipſiſſimæ artificiales variolæ, multominus convenit cum morſu canis rabidi operatio noſtra ; imo, quod bene notandum, artificiales variolæ neutiquam eſſentialiter differunt a naturalibus ; eandem enim ambæ agnoſcunt cauſam, varioloſi nempe miaſmatis in maſſam humorum introductionem, & profecto contagium variolarum artificialium per puris infuſionem propagari æque ac miaſma naturalium haud equidem inficiabitur, qui Æſculapii templum à primo limine ſalutavit, & fermentationis doctrinam eſt ſubodoratus : nec obſcurior eſt inſitionis methodus, quam panificium aut ars cerevſiaria, in quibus ex admixto fermento maſſæ fermentandæ turgeſcunt : conciliato nimirum inteſtino motu minimarum, principiis activis pollentium, particularum. Utrumque proin miaſma fermenti veri ſuſcipit indolem, & circulationis beneficio per vaſa & canales proprios ad ſanguinis maſſam delatum, diſpoſitas ad hoc particulas, & deliteſcente vitio turgidas ſtatim aggreditur, inficit, venenumque communicando, lati-

latitans in illis seminarium fermentativum excitat, agitat, actuat, inque motum ciet; unde ebullitio universalis, seu fermentatio oritur; vi cujus impuriores, & heterogeneæ partes separatæ cruce protruduntur ad cutem, naturâ interim placide virtute talis operationis totum opus moderante. Sola hinc intercedit differentia: quod in variolis naturalibus miasma variolosum mediante aëre & alimentis ceu vehiculis ad mollem pulmonum substantiam & sensibilborea œsophagi villos non sine præsentissimo harum partium periculo transferatur; in artificialibus vero mialma immediate vulneri applicatum directe toti communicetur sanguinis massæ. Vide plura infra, & BUTINI tractatum. Nimium mihi placent quæ habet *Vaterus in Diss cit* ut illa hic omissa velim. *Thes. X.* ita loquitur: Adhuc clariùs patebit, transplantationem præ omni alia infectione tutam esse, si examinemos modum, quo illa paragitur, quemadmodum differt à contagii communis communicatione. Effluvia contagiosa é corporibus morbosis emanantia, athmosphæram ægrorum totam replent, corpora sana præsentia circum circa amblunt; & ab his non tantum per poros cutis, sed etiam respiratione hauriuntur. Hæc igitur ob subtilitatem suam intimius penetrant,

ad viſcerum interiora tranſeunt, eaque acredine ſummâ graviter irritant, digeſtiones omnes ac ſecretiones turbant, ex quo agmen pravorum ſymptomatum emergit. Quamo otiosissimum fit, ut contagium hac ratione intra corpus receptum in angulis quibuſcunque & latebris corporis, viſcerumque ad aliquod temporis ſpatium hæreat, tandemque occaſione datâ auctis viribus erumpat. Hoc ſemper majori cum periculo conjunctum eſt, quandoquidem hac ratione latius per totum corpus ſerpendo, quibuſvis vaſculis minimis altius ſe inſinuat, viſcerum texturam interoam clanculum corrumpit, ſanguinemque circulo circumactum ſucceſſive invertit, atque craſin ejuſdem deſtruit. E contrario materia variolarum, per inſitionem, in exteriori corporis habitu à visceribus internis remoto, in minimis vaſculis ſanguiferis tuto commiſſa, à partibus ſeroſis diluitur, à gelatinoſis & ſulphureis ſtatim involvitur, ejuſque adeo acredo, ſiqua adhuc reſidua, optime mitigatur, ut virus nullum exercere queat. Accedit quod purulenta materia, in minima quantitate in ſanguinem infuſa, in circulum ſtatim abeat, & per totum corpus diſtribuatur, indeque multo ſegnius & blandius operationem ſuam perficiat. Hucuſque

que Vaterus. *vid. journ. Helvet.* 1751, *p.* 175. *journ. Britann. mois de mars, d'avril* 1754 *p.* 394.

§. XIII.

Pro diverſitate Nationum, diverſa etiam eſt operandi methodus. Quomodo apud Chineſes variolarum inſtituatur tranſplantatio, fideliter nobis enarrat R. P. D'ENTRECOLLES in *Collectione germanica cit.* T. III. nro 431, triplicemque exponit methodum, quam multâ pecuniâ ibi comparaſſe ſancte aſſevetat. Non ingratum fore judico L. B. ſi eam nonnihil contractam, & latine ad litteram fere redditam, huic §. inſeram, *Prima Methodus.* Si in infantem unius, duorum, uſque ſeptem, annorum, variolis bonæ notæ affectum incidis, tempus deſquammationis expecta; tum exſiccatas Variolarum cruſtas collige, & in vaſculo bene tecto, ceráque ita obſinito reconde, ut nulla ingredi queat vel minima auræ cujusdam particula; hâc enim ratione cruſtas in ſuo vigore ad aliquot annorum ſpatium poteris conſervare; cum é contra, ſi vel levis aura accederet, intra centum dies ſuam perderent efficaciam. Infans inoculandus ad minimum unius ſit anni, perfectáque fruatur ſanitate. Si aſſervatæ cruſtæ minores exiſtunt,

illarum quatuor, ſi majores, duæ ſufficient. Lj. (paululum plus eſt, quam granum apud nos) Moſchi duabus includuntur cruſtis, goſſipio ex una parte acuminato, ex altera vero lato involutum, infantis naribus & quidem ſinſtræ, pueliæ autem dextræ intruditur. Notandum ſedulo, an futura ſagittalis clauſa ſit, necne: quod ſi perfecte clauſa non ſit vel alvi fluxu vel alio laboret morbo infans, differenda inoculatio, uſque dum hæc ſublata fuerint impedimenta. Semine variolofo infantis naribus intruſo, & inde febre accenſa, ſi tertia die erumpunt variolæ, ſpes eſt, fore, ut ex decem evadant novem vel octo: ſi vero ſecundo mox die ſeſe manifeſtant puſtulæ, mediam partem in mortis periculo conſtitutam ſciat Medicus, & ſi primo jam apparent die, ne pro unius quidem ſalute ſpondere poteſt ſecure. De cætero eadem adhibenda hic methodus, quæ in variolis ſponte venientibus adhiberi ſolet. Medicus unâ tantum vice laxantia, cum potuvenulis cardiacis præſcribit. *Secunda Methodus.* Ut variolarum inoculatio eo feliciorem ſortiatur effectum, ſeligendæ ſunt ſuperato jam morbo, tempore ſcilicet deſquammationis, optimæ notæ Variolæ. Si crudæ adhuc vel virides exiſtunt, ante omnia illa-

illarum temperanda est acrimonia sequentem in modum: Recipe scoraoneram hispanicam, incisæ lamelatim adde Glycyrrhizæ parum, committe invicem vasculo, aquâ calidâ replero, tege hoc postea tenui cribro, in quo per aliquod tempus jaceant pustulæ, urascendente vapore emollitæ, à nimia liberentur acrimonia. Si vero crustæ jam-dudum mensem circiter decidissent, vir perfecte sanus in suo illas circumferat corpore per aliquod tempus, antequam naribus intrudantur, & sic illarum acrimonia proveniente é poris vapore faciliori mitigatur negotio. Observandum præterea, crustas illas esse optimas, quæ é pectore, dorsoque decidunt, illas vero valere omnino nihil, quæ ex capite, brachiis, manibus, pedibusque fluuntur. Siquis exsiccatas transplantare amet variolas; recipit bombycis involucrum, quo obvolvit certum pustularum numerum, & narium sinistræ, si masculus, dextræ, si puella, intrudit, ultra vero tres horas inibi hunece non relinquat fomitem. Alia adhuc est variolas inoculandi methodus. Redactis in pulverem decidentibus variolis adde aquæ tepidæ tantum, quantum ad conficiendam pastam requiritur, tenuissimo gossipio involutam modo jam dicto naribus intrude per sex horarum

ſpatium: febris mox apparebunt ſymptomata, ſexto die erumpent puſtulæ, & duodecimo cruſtæ decident. In ſex ſequentibus caſibus variolas nemo inoculare præſumat. *Primo* ſi infans primum necdum attigerit annum. *Secundo* ſi ſexdecim jam annorum fuerit. *Tertio* & *Quarto* ſi vel exterius vel interius aliquis morbus ſit præſto. *Quinto* in æſtate, aut ubi magnus eſt calor. *Sexto* ſi aliquis in decidentibus cruſtis advertatur defectus. De cætero ut Supra. *Tertiâ Methodus* ſub titulo *Tſchüng-Teukan-ſa* 1. 4. Regulæ pro inoculatione. *Regula prima* infans inoculandus ſanus ſit, robuſtus, & ab omni omnino morbo liber &c. Regulas reliquas, quæ jam in præcedentibus per modum cautelarum aſſignatæ ſunt, & hic repetendæ forent, brevitatis amator omitto, uti & illas, quæ ſolius imaginationis, nullius vero ſunt uſûs. *Secunda.* Tali modo conſtitutus infans ut inoculationis capax cenſeatur, per remedia demulcentia, evacuantia, & ſanguinem purificantia præparetur, & nonniſi poſt decem vel undecim dierum ſpatium inſtituatur operatio. Ut vero ſanguinis purificatio rite fiat, recipe cicerum, rubri, nigri & viridis coloris, Glycyrhizæ ana unciam unam; pulveriſata hæc in mortario,

rio, & recondita in tubum é ligno bambino excorticato confectum, utroque ex latere cono pineo obthuratum, & pro majori securitate cerâ obductum, in latrina tempore hyemali per unum alterumve menſem reponuntur. His ita peractis, ex tubo à ſordibus mundato, & ad umbram exiccato, recipitur pulvis, & cuilibet unciæ tria adduntur *Ma* pulveriſatorum foliorum plantæ, quam *moci-ze* dicunt. Pro ratione ætatis *Ma* unum vel ſemis hujus pulveris in decocto cauhum *ſekua* vel florum *Kin-inboa* in parva doſi præbetur infanti. *Tertia.* Tempore, quo utitur decocto, infans, abſtineat ab omni cibo acri odore vel ſapore prædito: decimo tunc vel duodecimo die fiat inoculatio. *Quarta.* Pro inoculatione dein Variolarum proceditur ut ſupra, hac ſolum cum differentia, quod muſcho inſuper addatur *huong boung*, & poſt duos treſve dies primum é naribus ſemen variolaſum ſit ſumendum; præterea ſecundo ab operatione die præbeatur inoculato pars quædam exiccatarum & pulveriſatarum cruſtarum in juſculo ex *Schin-nia* præparato &c. *Ultima*, Notandum, ſi forte quarto aut quinto die non erumpunt puſtulæ, ſemen variolaſum é naribus trahendum, & remedia alexipharmaca in uſum vocan-

vocanda. Quicunque his cautelis inſtructus, operationem inſtituent, certus eſſe poteſt, fore, ut talliter inoculatus, nunquam variolis impoſterum queat infici. Qui fuſius hæc germanice legere deſiderat, conſulat cit. R. P. STOECKLEIN, aut *les lettres edifiantes & curieuſes* linguâ gallicâ. Triplex hæc methodus, licet forte pergrata foret delicatulis, quoniam tamen minus tuta, teneramque cerebri ſubſtantiam facile offendere creditur, hactenus, ſaltem quantum ego novi non in uſum tracta eſt, niſi in Anglia, ubi puella ad mortem condemnata, publici hujus facta eſt experimenti ſubjectum; ſed quia violentis adeo mox ab operatione capitis correpta eſt doloribus, adeoque fœti uſque ad tempus eruptionis vexata febre continuâ, ut magis ægra, ruinæque expoſita fuerit vitæ periculo, quam alii, qui methodo ordinariâ ſunt inoculati, Chinenſium praxis in Variolarum tranſplantatione tamquam periculoſa ruinoſque tota fuit rejecta, id quod jure etiam factum eſſe, quivis mecum fatebitur, qui exactum poſt hanc methodum in China demortuorum, cum alius vellet inſtituere computum. Circaſſii, ut teſtis oculatus eſt D. DE LA MORTRAYE in ſuo *Itinerario T. II. l. III. p. 98. ſeq.* cit. *in Diſſert.*

D.

D. BAUER p. 16, qui ipsemet operationi interfuit, & quasvis circumstantias attento notavit animo, ita procedunt: Quo magis, inquit mutata lingua gallica in latinam, appropinquabamus montibus, eo formosiores offendebamus Circassios. Cumque neminem variolis deformatum conspicere datum esset, petii, num forte secretam quandam callerent artem, variolarum, communis ceteroquin generis humani hostis rabiem a furia arcendi? inoculationis solius beneficio id accidere mihi significabant, quam hoc modo instituere solent: mutuantur nempe ab aliquo variolis infecto purulentam materiam, & incisione factâ sanguini immiscent. Curiositate igitur ductus ipsissimis conspexi oculis usitatam apud ipsos inoculandi methodum. Virgo inoculanda quatuor vel quinque annos nata, levi quodam catharctico ex siccatis Buglossi foliis in decocto ejusdem plantæ radicis, & mellis præparata, in ædes pueri triennis variolis ad suppurationem deductis correpti fuit introducta: Vetula quædam (hæ enim pro sagacioribus habitæ medicinam hic locorum exercent) collectis in unum tribus acubus pupugit primo scrobiculum cordis, secundo mammam sinistram é regione cordis, tertio umbilicum, quarto volam

manus dextræ, quinto malleolum pedis sinistri: effluenti sanguini inmiscuit, quam collegit, materiam, cruentoque vulneri siccata Angelicæ folia applicavit, superimponendo simul pellem junioris agnelli: mater postea stragulis pelliceis circassiorum more cooperram puellam, in patrias deportavit ædes ubi sub moderato calore nutriebatur pulte ex farina cumini, cum duabus tertiis aquæ & una lactis confecta: pro potu dabatur ptisana ex Bugiosso, Liquiritia, & Angelica, quæ sunt vulgatissima in illis Regionibus remedia. Quomodo operatrix græca processerit, his verbis enarrat ANTONIUS LE DUC in *Dissert.* cit. Ut autem pus illud sibi compararet græca operatrix, acu ferreâ vel argenteâ vulgaris formæ, apicem variolæ binis prioribus digitis comprehensæ, pertundebat, leviterque comprimendo expressum contentum pus in subjectum vasculum instillabat. Solebat vero eas tantum Variolas sic pertundere, quæ extrema quatuor corporis occupabant. Vasculum tum bene tectum operculo quodam, & sinu suo totum secum gerens ad eum, cui inserionem instituturæ erat, quam citissime properabat, curans animum, ne per interpositam moram materies illa [illegible] reddita, minus quoque operationi idonea fieret; hinc

hinc nunquam ultra 12 dies illam ſervare ſolebat. Illi jam præſens operatrix, ut dixi, preces fundit: tum acu ferreâ octo vulnuſcula totidem corporis partibus ſucceſſive infigebat. Primum quidem ſummæ fronti ad viciniam capillorum, eo præciſe loci, qui utraque ejus extrema æqualiter interjacet: alterum mento, bina ad utramque genam, illi earundem parti, quæ Zygomati proxima eſt. Totidem etiam quatuor extremis inurebat vulnera, ſuperioribus nimirum, bina prope metacarpum, & duo pariter infima non procul à metatarſo. Hæc vero hoc ordine ſemper excitabat, ut in facie crucis effigiem, in artubus Redemptoris plagas referrent, hoc ſibi etiam injunctum in revelatione contendens, quaſi ſane ex tali vulnuſculorum diſpoſitione, non vero à cauſis aliis phyſicis ſucceſſus inſitionis penderet. In inferendis hisce vulneribus acum, parti in ſitu plano ſpectatæ ſic adigebat, ut obliquè, non vero ad normam in eam penetraret, tum acum ipſam ſurſum elevans impoſita tegumenta vi factâ lacerabat, eamque hærentem adhuc cruentæ plagæ in gyrum circumrotabat, ut major continui ſolutio fieret. Tum fomitem variolosum, detecto vaſculo, quo continebatur, eadem illâ acu, quâ vulnera excitabat,

in

in pertusa loca instillabat, intrusamque materiam eodem instrumento in ipso vulnere quam accurate commovebat, ut per omnem vulneris ambitum, secretosque ejus recessus materia sese insinuaret: hujus vero nonnisi una vel altera guttula ad quod libet vulnusculum intruditur. Quo in singulis vulneribus peracto, haec vasculo quodam concavo operiebat: adultus, in illis tantum partibus, quas vestes tegunt, ne lenticet ab illarum attritu materies averteretur; junioribus vero ubique, ne manibus pertusa loca scalperent, fomitemque dissiparent, tumque superinducta fascia partes ligabat. In simplicissimam methodum, qua mulier illa utens, fausto semper eventu in nitidis hominibus Byzantii variolas excitabat. Convenit cum hac, quam adhibet PYLARINUS & TIMONIUS, methodus. Parum differt, quam habet a CASTRO, nisi quod unò tantum vulnere inflicto, unâ tantum aut alterâ guttâ instillatâ, Variolae aeque fuisse exortas, ac si plura inflicta fuissent vulnera, observaverit. WREDEN in *Ver*. vernünfftige Gedancken von der Inoculation der Blattern nonnullas cautiones, quarum nec PYLARINUS nec TIMONIUS nec à CASTRO mentionem fecerunt, in hoc negotio commendat; lubet hic appo-

nere

nere latine, quæ ſcribit germanice: ſubjectum, ex quo deſumenda pro Inoculatione materia, diſcretas, benignas, nullisque toto morbi decurſu funeſtis ſymptomatibus ſtipatas habeat Variolas Pultulæ quædam jam matureſcentes, plerumque circa decimum ab eruptione diem lanceolâ aperiuntur, expreſſum inde pus, goſſipioque exceptum, in exigua quadam reconditur pyxide, & ita bene dictum uſque ad uſum corpori ſemper admotum aſſervatur; uſus poſt aliquot ſeptimanarum ſpatium ſubſequi poteſt, ſubſequitur autem ſemper effectus ſive calida ſit ſive frigida materia; certum tamen eſt, quo recentior exiſtit materia, eo aptior eſt pro inoculatione, in qua ſequentia ſunt annotanda: ſubjecta eligenda ſint bene valentia; ſi infantes ſunt, non inoculandi, dum dentitionis præſto eſt negotium, ne funeſtus inde oriatur exitus. Si è ſexu elegantiori, menſium habenda eſt ratio, & nonniſi primâ poſt illos ſeptimanâ operatio eſt inſtituenda *p.* 64 idem Author ſic pergit: Si tali modo inoculandi vel inoculandæ ſeſe habent, inciſio vel longitudinalis vel transverſalis in cute ſit tam profunda, ut aliquid tantummodo ſanguinis effundatur, in utroque brachio, ſub muſculo deltoide. Inciſioni factæ committi-

sur inclusa gossipio materia, huic imponitur emplastrum quodam simplicissimum e. g. de spermate ranarum, linteo & fascia firmatum, apparatus hic elapso 24 horarum spatio auferetur una cum gossipio pure infecto, & incisionis loca ligantur ut antea, & quidem usque ad eruptionem Variolarum singulis, post hanc vero alternis diebus usque ad morbi finem. Ita WREDEN citatus in *dissert.* D. BAUER. Longe minori cum apparatu adornabatur operatio in Provincia Walliæ, ut refert D. DE LA CONDAMINE ex litteris D. JURIN *l. c. p* 26. Ipsi nempe in scholis pueri, unus alteri communicabat Variolas, cum vel acu se pungerent invicem, vel brachium aut manum ad sanguinem usque super matureſcentibus fricarent pustulis; qui insertas sibi volebat illas, duos aut tres solidos donabat illi, a quo materiam esset empturus, unde hæc ipsa methodus illic terrarum sub alio non veniebat, nisi sub emptionis Variolarum nomine.

§. XIV.

Quæ hodie in Anglia & genevensi urbe diuturnis probata experientia, adhibetur, rejectis inutilibus & superstitiosis, methodus hæc est: antequam operatio ipsa instituitur

ſtitutor, exacta variarum circumſtantiarum habenda eſt ratio; leviſſimi enim ſubinde nullusque revera momenti eventus, delicatum facile offendunt publicum, totumque turbant ex improviſo utut ſalubre negotium: videndum igitur ante omnia 1. annon morbus aliquis epidemice graſſetur eo tempore, quo inoculatio exercenda; ne forte morbus iſte funeſto quodam caſu aggrediatur inoculatum, rapiatque inopinato ad plures; ſic enim facile, quod profecto ſoli debetur epidemicæ conſtitutioni, innocentiſſimæ adſcribetur operationi, tuncque inoculatio occidiſſe dicetur, quem ſors aut nequitia epidemici morbi jugulavit. Eadem de cauſa vitandum eſt tempus, quo variolæ epidemicæ & deleteriæ indolis ſuam exerunt rabiem, aut quando ſtatos occurrit graviditatis, vel criticæ ſexûs periodi, vel febris, cui ad quartum usque annum dentitionis tempore ſubjecti ſunt infantes; quæ omnia ſæpe letbales periculoſorum ſymptomatum exiſtunt cauſæ. Huc quoque pertinent ſcrophulæ, eruptiones cutaneæ, inflammationes, ulcera interna, icterus, mala hepatica, ſcorbutus & malum venereum 2. Reſpicienda eſt ætas: in adultis omnia ſolidorum tenſio, nimius fluidorum motus, nimis ſanguinis acri-

monia ſine dubio morbi augent violentiam & periculum. In teneris infantibus deficiens cordis & arteriarum vis, interna ad lactis coagulationem diſpoſitio, frequens ad excoriationem, in ventriculo & inteſtinis inflammationem occaſio, ſuppreſſa ſæpe tranſpiratio &c. ſatis nos admonent, ne in operatione nimis finius præcipites. Tempus pubertatis pariter non admodum eſt conveniens, nova enim leſe tunc manifeſtant organa, humores evaduot acriores, tegumenta magis dura, paſſiones vehementiores, inquietudines longe majores. Optima igitur merito ſtatuitur inoculationis epocha ab anno quinto, uſque ad annos pubertatis; ante quintum enim annum vix quidquam certi de ſuorum infantum vita ſibi polliceri poſſunt parentes, imo plerique jam ante ſecundum latis cedunt. Uno verbo ex calculo hactenus in anglia facto apparet, variolarum artificialium pericula ſecundum gradus ætatis plus minus plerumque ſumere vel augmenti vel decrementi. Quodſi vero ultra prædictam periodum dilata vel neglecta fuiſſet operatio, illa nihilominus præmiſſis tamen præmittendis in uſum eſt vocanda, præſertim ubi neceſſitas id poſtulat; indubitata liquidem veritas eſt, naturales variolas artificialibus ſemper magis

eſſe

esse periculosas. Hæc autem intellecta velim usque ad annum circiter trigesimum vel mediam vitæ ætatem, in lubrice enim circumstantiis melius est integrum relinquere sagaci naturæ negotium, quam incipiti arti committere: Imo quibus à teneris annis ad mediam usque ætatem morbi hujus exsortes esse licet, spem non vanam concipere posse, fore, ut per totam vitam eo vivant immunes, promittit BAUER *in diss. cit. p.* 11 (wwww). 3. Ætatis considerationem sequitur anni tempestas non spernenda. Tempus maxime idoneum propter clementiorem aëris temperiem suppeditat ver, & qui ei multum assimilatur autumnus: Quemadmodum se habet quintus annus respectu ætatis, ita se habet ver & autumnus respectu tempestatis. Excessivus æstatis calor forte idem conjunctum habet periculum, quod obnoxia potissimum passionibus ætas; frigida hyemis aura, glaciem repræsentat & inevitabilia senectutis incommoda. Calor activitate & aucta sanguinis acrimoniâ lethalem producit inflammationem, dissipatique subtilioribus fluidi particulis reli-

(wwww) Referunt forte author gallus Delphinum anno ætatis 49. Josephum Imperatorem 33 fuisse variolis exstinctos.

quum inſpiſſat : Frigus é contra retardando ſanguinis motum, conſtringendo exteriorem microcoſmi cortícem, eruptionem remoratur, & materiam variolosam ad interiora repellit. Quæ hactenus de tempeſtatibus anni dicta ſunt, intelligenda potiſſimum ſunt de noſtris climatis. Theſſala illa mulier tantummodo hyemis tempore inſtituit operationem; ſed Conſtantinopoli hyems temperatior noſtro exiſtit vere. In regionibus frigidis æſtas, in calidis & ſub zona torrida hyems alia eſt præferenda. Neceſſitas tamen & conſuetudo faciunt exceptionem : ſi epidemice graſſentur variolæ, melius eſt prævenire quam prævenirí quácunque etiam anni tempeſtate (xxxx).

XV.

Electione factâ, de præparatione, utpote in qua omnis operationis fere vertitur cardo, eſt cogitandum. Primæ proinde à eruditatibus liberandæ ſunt vtæ, maſſa deinde fluidorum remediis temperantibus & demulcentibus ab mãatmatione ſedulo præſervanda ; venæ ſectio denique, ſi plethora urgeat, inſtituenda. Prima indica-

tio

(xxxx) vid *journal helvetique, Britannique*, Buttin jam ſæpe citat.

tio maximi eſt momenti; dici enim vix poteſt, quam periculoſa ſit in morbis contagioſis cruditatum copia; venenatum variolarum miaſma crudæ primarum viarum materiæ mixtum, non poteſt non ſymptomata inducere funeſtiſſima, graviorumque morborum complicationem, à quinto anno uſque ad 14, cum humores ab ipſa natura jam quaſi ſint præparati, non magnâ opus eſt præparatione. lene quoddam laxans, & poſt 2 repetitum diea omnem abſolvet paginam, poſtridie fit operatio; ſi vermium adſit ſuſpicio anthelmintica ſunt miſcenda laxantibus. D. KIRKPATRICK multis laudibus extollit æthiopem mineralem, jubetque, ut anthelminticis & laxantibus à quinto uſque decimum ætatis annum ſemper aliquot mercurii dulcis addantur grana. Vix in tam tenera ætate opus eſt venæ ſectione, ſi vero in valde ſanguineis requiritur, uno vel altero, qui operationem præcedit, die foret inſtituenda: prout vero creſcunt annis infantes, plus vel minus indigent præparatione. Ab anno 8 uſque ad 14. ad minimum 3 ſeptimanarum requiritur ſpatium, & ſi ultra hunc extendatur terminum, nil eſt pertimeſcendum, dæta ſiquidem præſcribenda non unquam rigoroſa eſſe, aut ad virium debilitatem uſque

tinuari debet. Venæ fectio non raro poteſt eſſe neceſſaria. Adultiores longiori adhuc opus habent præparatione, & exacto ad ſaniotis diætetices normam regimine: tribus vel quatuor ante operationem diebus ſumatur laxans ex infuſo Senn. in quo Mann ℥ij. diſſolvantur. Trahatur poſtea in uſum lac ſeſſum decocto hordei, vel aliud quoddam accommodatum ſcopo noſtro infuſum mane & veſpere ſumendum. Toto hoc tempore inoculandus non nutriatur niſi cibis, ut brevis ſini, eupeptis, accuratumque obſervet in 6 rebus non naturalibus regimen, veſpere parum aut nihil omnino carnis aſſumatur, abſtinendum pariter à vino, caffee, chocolada & quidquid ſanguinis motum augere poteſt. Ante cubitum omni veſpere pediluvia per quartam horæ partem continuata in uſum trahantur, ut ſic à ſuperioribus ad inferiores magis partes invitetur ſanguis. Obſervandum hoc potiſſimum in ſexu altero, cujus plerumque ſanguis ab anno duodecimo ad 20 & ultra facile ſuperiora petit. Octavo ante operationem die Idem laxans, & poſt 3 vel 4 dies repetitum aſſumitur, uno vero aut altero ante inoculationem die venæ fectio in ſanguineis vel in brachio vel in pede, prout medico videbitur, inſtituenda, cujus

cujus quoque prudentiæ pro circumſtantiarum varietate multa alia ſunt relinquenda. Cui vero hæc omnia nimium dura videntur, cogitet quæſo ſedulo pro unica vita conſervanda nihil eſſe omnino intermittendum. De cætero optimum anaſepticum eſt fiducia, optima præparatio lætitia, & panici terroris excuſſio. Exactam tali modo inſtitutam præparationem excipiat ſine mora operatio ipſa, ad quam rite exercendam, ſelectiſſimum variolarum requiritur fermentum: ſumitur autem illud ex corpore variolis diſcretis & bonæ notæ (yyyy) ſeu naturalibus ſeu artificialibus rubro, cæteroquin tamen ſano (infantes præferuntur hiſce in circumſtantiis adultis). Quando ſcilicet variolæ in facie exſiccari incipiunt, ſex fila ſeptem vel octo pollices longa, & convoluta mediante acu ex utraque parte ſcindente per unam é majoribus puſtulis in brachio vel femore bene jam maturis, recentibus i. e. nullo amplius rubro præditis circulo trajiciuntur:

(yyyy) Theſſala muller pus ex inſitis variolis ut ineffi cax quidem rejiciebat, ſed contra rationem & experientiam, imo Jacobus a Castro magis proficuum cenſet, ſi pus ab ejusmodi defunctæ ſubjecto, cui ex inoculatione natæ ſunt variolæ, eoquod hæcce materia clementioris ſit indolis, nec adeo graves in œconomia animali excitet turbas.

ſi una non ſufficit Puſtula, per plures id fiat, ita, ut fila pure ſatis imbuta, in bene mundato vaſculo recondantur ad uſum. Plerumque hoc illo ipſo fit die, quo inoculatio inſtituenda, ſed Angli & Genevenſes operationem optimo cum ſucceſſu adornarunt pure per menſem integrum conſervato. Facile credo conſervati etiam poſſe diutius, prout Angli octo menſibus conſervarunt, teſte D. GUIOT. Ad communicandum vero hoc fermentum corpori humano inciſione opus eſt; alii in pede utroque, in brachio alii ſuadent vel diſſuadent; Ego cum D. KIRKPATRICK mediâ incedendum viâ arbitror: ſi ſubjecta naturaliter bene ſint diſpoſita, ad evitanda forte quædam mali moris in pede ulcera, in brachio faciendam ſuadeo inciſionem, in pede vero tunc, cum tumor ſit, ne nimis cito aut violente erumpant puſtulæ; hoc enim modo ſalutaris revulſio verſus inferiora magis eſt ſperanda. Si inciſio fiat in brachio, infra inſertionem muſculi deltoidis eſt faciendo, eo in loco, ubi fiunt cauteria, & illa quidem ſit longitudinalis, tantumque ſuperficiaria, unius pollicis ſpatio longa. huic imponuntur fila de quibus ſupra, vel etiam una aut altera puris in vaſo mundato conſervati guttula, teguntuque mox ſplenio

cum

cum digestivo simplici, cuique emplastro de diapalma, super imponitur linteum, ligaturque fascia, ne suo e loco dimoveatur. Nonnulli unico duntaxat vulnusculo ad brachium inflicto contenti excitarunt variolas, paucisque apparentibus pustulis præservatos tamen fuisse impostorum à contagio notat Pylarinus *p.* 21. *l. c.* BUTINI *p.* 75. *l. c.* melius tamen judicat, si in utroque brachio fiat incisio; securior enim est operationis effectua, factleque alias sine optato eventu dimoveri potent ex uno solum latere apparatus &c. relinquitur plerumque apparatus iste 40, vel 48. juxta WREDEN 24 horis, ita tamen ut vulnus eodem splenio atque emplastro singulis tegatur de novo diebus; sed attestante D. RANBY minoris, quam creditur tempons spatio, hocce agit fermentum; matrona enim quædam 30 annos nata inoculationi se subjecit, paulo post vero facti pœnitens, omnem solvit apparatum, a variolis tamen artificialibus neutiquam est præservata. Eundem sortitur effectum operatio, si mediante vesicatorio, eadem supra indicata methodo instituatur. Vide *Journal helvetique & Britannique.*

§. XVI.

§. XVI.

Hiſce jam circa operationem poſitis, videndum nunc, quo tempore, quibusve cum ſymptomatibus communicatum intra corpus per inſitionem variololum miasma ſuſcitet variolas. Quantum profecto coelum diſtat à terra, tantum differunt à naturalibus variolis artificiales, earumque ſymptomata, quæ eo magis per artificialium mitigantur ſubſidia, quo atrocius exacerbantur per naturalium furorem. Hæc modo ſecundum quatuor illarum periodos breviter ſunt examinanda. Quemadmodum non unum idemque omnibus, ſed varium pro hominum diverſitate eſt temperamentum; ita etiam Varia variolarum ut naturalium ſic artificialium ſunt ſymptomata, licet enim duo forte in hoc quidem conveniant, quod uterque cholerica vel ſanguineâ e. g. gaudeat temperie, in binis tamen tum ratione fluidorum tum ratione ſolidorum tam notabilis invenietur differentia, quam idiolyncraſiam dicunt, ut vix non idem à ſeipſo diſcrepare recte affirmaveris. Quis præterea ignorat, morbum ſubinde aliquem malignum graſſari epidemice? unus inficitur, alter ab illo liber exiſtit, alius ſtatim hauſtu veneni experitur periculum, alter

alter poſt plures ſæpe dies primum illius luc tentatur, prout nempe varia eſt corporum diatheſis; parile modo rem habere cum inoculatione in conteſſo eſt. Tribus vel quatuor, ſubinde ſex, ſeptem ab operatione diebus ſerius aut citius ſecundum temperamentorum, ætatis, fermenti & roboris diverſitatem luccorumque in Maſſa ſanguinea habitudinem, & particularem in ſinguiis diſpoſitionem, absque ulla fere vulnuſculi mutatione, inciſio per modum ſimplicis apparet lineæ, in ſublatus hiis exigua ſubinde puria communicari pars invenitur, ſubinde in obducta quaſi cicatrice utrimque Inciſarum partium labia jam cernuntur coalita. Circa quintum circiter diem inſitantium variolarum advertuntur prænuntia, digito incisionis loca tangenti offertur quædam ſecundum totam ſuam longitudinem durities, in vicinia levis perſentiſcitur inflammatio; In hocce rerum ſtatu nullum in vulnuſculis jam fere coalitis adhuc ſuppurationis detegitur veſtigium, at ſequentibus mox diebus vulnus evadit magis albuoi, extenditur durities, ſenſibilis magis fit rubor. Toto hoc tempore quamvis forte ſine noxa delitere poſſet cubiculum inoculatus, cuſtodire tamen illud magis eſt conſultum, ad avertendos in

bus

his circumſtantiis periculoſos, qui facile funeſti quid excitare ſolent, rheumatismorum inſultus. Sua inſuper, niſi adſit naturaliter, concihetur per artem alvo libertas; exactum quoque obiervandum in diæta regimen, imo exactius adhuc, quam tempore præparationis, ne corpus nimiis repletum humoribus, ſalutarem inde retardet evacuationem. Sepoſitis præterea omnibus ſeriosis aut triſtibus, tempus potius inter loetas amicorum converſationes transigere convenit, non enim, ut in naturalibus event variolis, triſtiorum accidentium ſyndrome excruciat ægrum. Plures teſte PYLARINO vix alterationem ſentiunt aliquam vel læſionem. Die 5to, ſubinde 6to, ſubinde tardius, quod pro bono habendum omne, ſeſe oſtendit febris; ſuſceptum enim recenter contagium naturam irritat, inde horror & rigor, mox humorum circumeuntium ſupervenit turba, auctaque velocitas, inde naſcens calor; ſed raro nimius aut violentus acerbiſſimi renum, abdominisque dolores, motus convulſivi, moleſta circa ſcrobiculum cordis tenſio, pathognomicus fere variolarum prodromus, nullum hic inveniunt locum: ægri nonniſi aliqualem ſentiunt laſſitudinem, & tranſitoriam inquietudinem: delira ſunt rariſſima vel certe leviſſima:

fima: dolor ot plurimum quidem caput occupat sed mitis, raro sese per reliquas corporis extendens partes; supervenit subinde stupor, seni ebrietati æqualis: placidos est dormientium somnus, cum unli quadam diapnoë, quæ poros optime servat pro eruptione apertos: maculæ rubræ, inflammatio levis vel particularis vel universalis nonquam diu durantes, materiæ mox erupturæ non fallacia existunt indicia, quam summopere natium juvant hæmorrhagiæ: non circolatio, non perspiratio, ut in natoralibus impeditur: naoleæ sunt frequentes, sed mox iterum quoque cessant si vomitus accedat, quod rarum est, nil quidquam portendit funesti, sed ventriculum a superstite eruditatum colluvie liberat: molestum illud ægrosque adeo vexans symptoma anxietas, imminentis, ut ita dicam, mortis sensus, ab aucta cordis resistentia, nunquam fere affligit ægrotos: epilepticos insultus hactenus infantibus accessisse vidit nemo. Absoluto hoc morbi statu parva hinc inde 3tio, 4to, 5to, 6to imo & 7timo ab insultu febris die rubicantia quædam apparent puncta, quæ sensim augentur, tument, vesiculæque fiunt, primo plerumque ad vulneris insicti viciniam, dein faciem, & ad reliquas denique corporis

partes,

partes. Primo ſubinde aut ſecundo die jam efflorescunt puſtulæ, hæc tamen ſemper cum diſtinctione, ut, quibus citius apparent, illis etiam ſint pejores, quibus vero ſerius, mitiores. Excitatæ ſic variolæ, ut plurimum benigniſſimi ſunt generis, fere ſemper de diſtinctarum genere, nec numero multæ, quibusdam decem, viginti aliis, aliis triginta contingunt, raro centum, rariſſime ad ducentas erumpunt: LE DUC ſexdecim tantummodò fuit notatus, quarum binæ in facie, per pectus & dorſum diſperſæ erant reliquæ. Quod vero in epiſtola TIMONII ad D. WOODWARD notatum legamus, anno quodam, cum immaniter graſſarentur Byzantii confluentes ex epidemia variolæ, inoculatos gravioribus fuiſſe affectos malis, ſed ſine funeſto tamen operationis effectu, deterior ſolum eſt adſcribendum contagio: prout enim illius eſt indoles vel mitis vel acerba, varie etiam agere conſuevit. Illud autem, quod de ſua affirmat 17 annorum puella teſtem exemplum LE DUC, quod ſcilicet tam copioſo variolarum numero fuerit notata, ut totum fere corpus inde fœdaretur, eo minus admiror, quoniam ipſemet aſſerit, omnes, qui pleni erant habitus, vel quorum compages erat valida, vel temperamento gaudentes

derent calido, è quorum cenſu præfata erat puella, longe plus & pluribus cum ſymptomatibus illo morbi laboraſſe decurſu; & facile credo, venæ ſectionis forte defectu confluentes ſubortas eſſe variolas, eademque ſymptomata: cum ſimiles cauſæ ſimilem ſemper ex phyſicorum teſtimonio producant effectum; quamvis hic mitius, quia variolarum quoque virus eſt mitius. Accidit interdum, ut ex inſitione nullæ penitus appareant variolæ, vel ob non præexiſtentem varioloſam in corpore diſpoſitionem, vel ob enervatum fermenti robur: quid igitur mirum? ſi poſtea, graſſante populariter morbo, corripiantur promiſcue ejusmodi corpora, licet inſitionem paſſa, communi cæterorum ſorte. Inſertionis loca in maculas puſtulasque fere ſemper evadere ſolent: quibusdam vero abſque prævia macula in purulenta excreſcunt tubercula; nonnullis in apoſtemata degenerant majora, copioſam puris effundentia quantitatem: non ſemel eadem loca in pedibus præcipue ſummo cum dolore intumeſcunt, pureque effuſo ſubſident, iterumque in tumorem attolluntur, quibusdam, rariſſime tamen, ad glandulosas partes & emunctoria poſt aliquod tempus emergunt abſceſſus, ſuppuranturque paulatim,

latim, Indente ſic in diverſiformi corporum craſi naturâ. Secundâ ab eruptione die ægri jam melius habere incipiunt, febris cum reliquis ſymptomatibus diminuitur: tertio ad ſummum die finitur eruptio, vulnuſcula ante quaſi coalita aperiuntur & ſuppurantur abundantius, ſuperveniens ſecundaria febris rariſſime excruciat ægrum. Subinde, quando materia eſt copioſa, terminantur omnia felici reſolutionis viâ, puſtulæque quaſi diſparent nunc ſerius nunc citius, pro ratione ſcilicet primarum periodorum, pro diverſitate inſitarum variolarum genii. Ubi vero ſuppurantur, candidæ primo apparent puſtulæ, rubro præditæ mox circulo ſenſim flaveſcunt, & exſiccatæ tandem non in lemas coriaceas, nec in denſas abeunt cruſtas, ſed ſub levis ſquammulæ forma excidunt, nullis remanentibus ſtigmatis vel foveis: plena potius & æqualis ſpectatur cutis, quam prius obſederant puſtulæ: rubet tamen ut plurimum per diem unum aut alterum. Summum revera hoc elegantioris ſexus beneficium; formam enim ſuam, ut patet in circaſſis, hinc non læſum iri, certo ſcire poſſunt. Integrâ fruuntur præterea ſalute ægri, ſuntque illiberi à timore variolas unquam contrahendi. Circa regimen porro notanda ſunt:

In

In principio eruptionis lectum custodiat sub eodem, ut antea dictum, regimine æger: eodem coopertus sit stragulo, quo sanus: facilior reddenda etiam eruptio infuso quodam thee vel melissæ, vel decocto Radic. gram. vel scorzon. & paucâ confect. de Hyacinth. vel solo lap. cancr. pulvere, vel aliquot nitri granis mane omni & vespere. Eruptione finitâ poma cocta sunt concedenda ægro, dandum ter vel quater per diem infusum theiforme cum lacte: exsiccatis fere pustulis, & (si adsit) cessante febre secundariâ, uti ante operationem cathartícum antiphlogisticum præscribatur, post tres dies reiterandum; & si temperamentum sit sanguineum uno aut altero post exhibitum laxans die mittendus est sanguis ad ʒ. 6. circiter ʒias. Experientiâ constat ad prævenendas funestas sequelas subinde necessarium fuisse, ʒ. 6. vicibus corpus expurgare, interponendo semper post quamlibet evacuationem 4. vel 5. dierum intervallum. Quodsi vero præter intentionem in morbi hujus decursu, alius subintraret morbus, iisdem remediis, ac in variolis naturalibus, malo est obviandum. Qui plura de his legere desiderat, evolvat *journ. helvet. britannic.* BUTINI, de LA CONDAMINE

DAMINE, PYLARIN. LE DUC. Et ſic finitur totum inoculationis negotium: Certiores nos hæc reddunt, ſi exacte obſervantur, quæ dicta ſunt hactenus, operationem ſemper exerceri poſſe ſine ullo funeſtorum accidentium metu. Probat hoc potiſſimum alma virorum eruditiſſimorum ſedes Anglia, & famigeratiſſima Geneva, ubi hodiernis temporibus variolæ transplantantur cum ſucceſſu ſemper exoptatiſſimo. Experientiæ patrocinatur ratio ipſa, quæ manifeſte nos edocet variolas artificiales tam periculoſas eſſe nequaquam poſſe, quam ſunt naturales. Suppono interim in recenti adhucdum hærere memoria, quæ ſupra ad ſcopum hunc facientia attuli. VATERUS celeberrimus in Wittenbergenſium Univerſitate Profeſſor, ita ratiocinatur in diſſertat. Cit. de variolarum inſitione è principiis phyſiologicis & pathologicis examinata, rationali, tuta atque utili demonſtrata: At longe plura adhuc ſunt momenta, quæ transplantationis hujus modum rationalem, tutum omnique periculo carentem confirmant. Conſideremus ipſius materiæ inſitione communicatæ naturam, ejusque à contagio communi diverſitatem, & ultro patebit, ejus operationem multo fore mitiorem,

rem, quam effluviorum è corporibus morbosis exhalantium. Componitur enim contagium, quod transpiratione & expiratione ab ægris procedit, è corpusculis attenuatis, rarefactione resolutis, & propterea maxime inquietis, operosis atque activis, illudque à sanis corporibus exceptum, non potest non vehementiorem massæ sanguineæ commotionem & confusionem inducere, quam materia ista insitione communicata; ob subtilitatem enim ac tenuitatem summam partium auram contagiosam componentium, harum acredo exacerbata, venenorum instar compagem sanguinis destruit, viscera interna graviter afficit, atque hinc tot mala inducit, imprimis si ab ægro variolis malignis laborante provéniat. Venena enim quo subtiliora, eo pejora magisque infesta deprehenduntur. Materia autem illa purulenta, quæ in transplantatione ad alios transfertur, præcipue ex variolis benignis desumpta, maturatione jam tum blandior & mitior, ac resolutis dispersisque per transpirationem particulis agilioribus & tenuioribus effœta reddita, tales turbas edere amplius nequit. Est enim maturatio nihil aliud, quam secessus imputatum, circulo vitali ad ambitum corporis expul-

farum, earum quidem craſſiorum, quæ poros cutis pervadere nequeunt, reliqua tenuioribus per tranſpirationem ejectis. Quæ etiam ratio eſt, quod natura, critica hac evacuatione bene ſuccedente, ſublevetur, ſanguis poſt purificationem illam ad quietem redeat, & omnia ſymptomata noxia remittant. EMANUEL TIMONIUS *l. c* pariter, cur & quomodo variolæ alioquin periculoſæ & perſæpe lethales, ex inſitione absque ullo periculo excludantur, doctiſſime oſtendit. Variolæ, inquit, communes vel concurrente pravâ aliquâ ſpeciali aëris diatheſi ſuſcitantur, vel ab effluviis è varioloſo corpore emanantibus per contagium propagantur. In primo caſu miasma malignum aëreum; in ſecundo virulenta contagii corpuſcula indolis probabiliter ſalino-ſulphureæ, ſtatim ac per tranſpirationem hauriuntur, ſpiritus ipſos & labe quidem tetrimâ afficiunt, ſubſequenter autem maſſam ſanguineam & lymphaui vitiari &c. ſicque continentia, contenta, & impetum facientia, quorum triumviratû humani corporis regitur reſpublica, una eâdemque involvi utplurimum ruinâ, indeque malorum ſhadem in hominis perniciem pullulare eſt manifeſtiſſimum. At vero longe aliter ad rationis

rationis trutinam revocata ſeſe habet inſitio. Nec enim ſpiritus inſici, nec lymphæ, vel ſanguini ullam labem teterrimam inuri, nec ſolidis aliquod vitium communicari, qui variolarum artificialium agnoſcit naturam, & vel ideo ſymptomata omnia eſſe leviſſima, haud denegabit; Contagionis enim hujusce fermentum, non ſpirituale, non aëreum & acutum eſt; ſed humorale inera ac pigrum: Venena autem quo ſubtiliora, eo pejora; ratione igitur improportionis nulla inter fermentum hoc, & ſpiritus eſſe potest lucta. Pus equidem variolarum in ipſa ſubſtantia ſanguini immediate infuſum ſtatim in largum veluti pelagum exceptum diluitur, involvitur, abſorbetur, obtunditur, ſic illud miteſcit, ſic in manſuetiorem indolem curatur. Contagioſæ iſtæ particulæ ſanguinem ingreſſæ ſtatim ſibi congenerea variolosi ſeminii particulas ſanguini a nativitate inditas inveniunt; iis igitur confermentescunt, ſed invicem combinatæ ac complexæ haud amplius ſui juris ſunt, ut ulteriores excitent turbas, regiam vitæ petant, ſpirituum theſauros diripiant; nam mutuis compedibus conſtrictæ fixantur, præcipitantur, craſſioresque & hebetiores fiunt, quam antea fuerint. Statim igitur

volubilioribus aqnearum particularum globulis tanquam aptis vehiculis superincumbentes, sanguinis motu à centro ad peripheriam tendente secundo veluti amne ad ambitum corporis protruduntur, eliminantur. Ex negatione fovearum & cicatricum palam est acres aculeatas, pungentes & corrosivas salini fermenti particulas à balsamicis statim sanguinis globulis obtundi, spiculis suis orbari & hebetiori figurâ modificatas, vi veluti mochlicâ expelli. Integra interim servatur massæ sanguineæ textura, inviolata consistentia. Nullam hic vides fusionem, nullam grumescentiam, nullum corruptorium, aut destructivum motum; in insitione enim tantummodo sanguinis fermentescit, quantum impuro à puri consortio separando ac per despumationem extrudendo satis est. In hoc fermentationis motu solum per undulationem quandam leviter aliquando afficiuntur spiritus, lympha, & solidæ partes, & si quæ ad ista contagii particulæ perveniant, certe, quod insitionis adumbrat metaphora, nonnisi sylvestri acrimoniâ privatæ ac veluti dulcificatæ pervenire possunt. Ita Timonius, sed fusius. Agnovit hoc utique immortale universitatis Lugduno batavæ decus BOERHAAVIUS

VIUS, qui in aureis ſuis Aphorismis ita loquitur: vulgatâ quippe methodo nullus ruſi ſponte emergit. Prophylaxis inſitiva videtur ſatis certa. Agnovit altera Medicinæ in Germania columna HOFFMANNUS, qui ait. quo etiam fundamento nititur cum fructu ab Anglis potiſſimum inſtituta variolarum inſitio &c. Agnovit illuſtre orbis eruditi ornamentum de HALLER, cujus authoritatem allegat D. TISSOT M. D. in alma Monſpelienſium Univerſitate, in tractatu ſub titulo Inoculationis juſtificatæ. Agnoſcit hoc etiam cum aliis celeberrimus Vir ac Dominus D. PHILIPPUS HENRICUS BOECLERUS, in Univerſitate patria Medicinæ Profeſſor, Præceptor meus ſummo pietatis cultu ad cineres uſque proſequendus, cujus conſilio hanc qualemcunque conſcripſi opellam. Agnoſcunt plures adhuc, imo agnoſcere debent omnes, quotquot Medici rationales vocari, nec ſanæ rationi, nec ſtabilitæ diu experientiæ volunt contradicere; Utinam, pudet revera dicere, utinam non panico terrore perculſos, varia, ſed futilia omnia, quæ objiciuntur, revocarent argumenta. Ad hæc ſtabilità nunc Theſi, examinanda & diluenda me accingo.

§. XVII.

Pugnatum hactenus satis est eminus, nunc quoque decertandum est comminus. Tela, quibus utuntur Adversarii, ex quadruplici potissimum desumpta sunt pharetra; ex Religione, Experientia, Ratione, & Politia. Primum cedamus Religioni locum. Fateor simpliciter & cæce Religioni obtemperandum, sed tamen & prudenter: simplices nos decet esse sicut columbas, sed simul & prudentes, ut ipsa nobis inculcat veritas incarnata, sicut serpentes: sola simplicitas columbina serpentum destituta prudentia, aut hæc illi fortunato non desponsata connubio, ad varios te ducet inextricabiles labyrinthorum anfractus. Simpliciter igitur, sed & prudenter simul credendum; non enim omnes sancti, qui calcant limina templi, nec omne contra Religionem est, quod primâ fronte illi jactatur contrarium: laneis hic incedendum est pedibus, nec quidquam sine prævio & rigoroso examine temereque est decidendum. Ego, qui & Medici & Theologi sine jactantia titulum jure mihi arrogo, ab omni sectarum errore alienissimus breviter disquiram, num Religioni inoculatio quidquam contineat contrarii. *Stultum est*, inquiunt, *imo illici-*

illicitum, petulanter procurare morbum illi, qui alias bene valet R. Sine neceſſitate, ſine gravi ratione morbum procurare ſtultum eſt & illicitum C, dutâ, ut ita dicam, ſuadente neceſſitate, ad majora & evidentiſſima præcavenda malorum genera, ad collocandam in ſalvo vitam, ſtultum eſt & illicitum N. pernego. Primum fecerit facile nemo, niſi, cujus cerebrum humani aliquid paſſum eſt, alterum amplectentur omnes, quibuſcum ſana eſt ratio. Nunquid hoc ipſum quotidiana indubitatum facit experientia, dum plenum forte cruditatibus ventriculum vel emetico vel catharctico quodam ſine ſcrupulis evacuamus, aut ſanguinem mittimus, aut veſicatoria applicamus, aut manu ferro armatâ corpus humanum impune petimus, lædimus, in mortis periculum ſæpe vulnerando deducimus. Variolæ e. g. epidemice graſſantes (hoc enim potiſſimum tempore inſtituenda operatio) ferme omnem longe lateque devaſtant vicinam; in tam luctuoſis me pariter conſtitutum video circumſtantiis, in quibus certus ſemper expectare poſſum nihil, niſi, quod eadem lue correptus, naturæ ſim ſoluturus tributum, aut certe periculoſiſſimis exponendus accidentibus; quis me

contra

contra Religionem agere dicet, ſi, relictâ periculoſiori viâ & electâ ſecuriori, hoſtis inſidias, ne ab illo præventar, mature præveniam. Quia funeſtum in corpore circumſero variolarum ſomitem, ne momento quidem in activitate jam poſito miaſmate varioloſo ſecurus eſſe poſſum, ne infectus contagio æq, per os, nares, & poros attractus tantâ violentiâ inflet & accendat hærentem in corpore ſomitem, ut incendium nullâ arte ornatur extinguendum: Nunquid Religioni magis eſt conveniens, inflicto leviter vulnere ſecundum ordinatæ charitatis, quæ à ſeipſo incipit, leges, à præſentaneo ſeſe vitæ periculo præſervare? & præterea quis neſcit à matribus & nutricibus ipſos ſæpe infantes in variolis benignis in infectorum cubicula introduci, ut variolas contrahant, imo frequenter ſuperſtitioſo plane modo, ſine conſcientiæ remorſu, numeratâ emant pecuniâ, ſicque permittente Deo morbum ipſum in ſalutarem convertant medicinam. *Sed divinam tentas per inoculationem providentiam: cur non relinquis potius totum naturæ negotium? qui tot jam retro ſeculis providit benigniſſimus rerum omnium moderator Deus, & nunc quoque providebit.* Specioſum magis quam ſolidum

hoc

hoc revera argumentum eſt, quod ſtolidas fataliſtarum nugas, trita prædeſtinatianorum rigidorum ſapit & recoquit delira. Itane firma in Dei providentiam fiducia nobis prohibet effugere ſanioribus cautela præſentiſſima noſtris obverſantia oculis mala? cur igitur ſtulte, ut lapſos de cœlo grandines evites, te ſubducis, quærisque latibula? Itane admiranda hæc numinis ſupremi providentia omnem in Medicina proſcriptam vult cautelam, prophylaxin omnem? cur igitur tam anxie circa vernale tempus ſcopo præſervatorio expetis à Medico remedia, cur tam ſollicite curas ſic dictas majales obſervas? cur quávis æſtate Thermas petis licet remotiſſimas? forte non ut dubiæ ſuccurras ſanitati, ſed ut temporum genio indulgeas, & ex aliorum conſortio voluptatem capias? ſicque iter non neceſſitatis ſed animi recreandi gratiâ haud ægre ſuſcipis, ſimillimus illi, qui acutiſſimo præditus viſu citra neceſſitatem vitris opticis utitur: cur non totum relinquis naturæ, aut providentiſſimo creatori negotium &c. Turcæ fato ſuo inevitabili addicti hanc neglexerunt quondam inoculandi methodum, ſed ſuo damno nunc ſapientiores, ut refert CASTRO, nulla fati habitâ ratione, avide nunc illam

ample-

amplectuntur. Theologi Anglicani, prædeſtinationis cæteroquin defenſores acerrimi, ſine ſcrupulo operationem iſtam omnibus ſuadent, & jamdiu civitate inter plauſus & jubila donarunt. Ipſi potius divinæ providentiæ grates referendæ ſunt humillimæ, eo quod poſt tot retro ſæcula, abſconditam oculis noſtris inoculationem nunc clementiſſime pro ſecuriſſimo contra variolarum naturalium rabiem præſervatorio iſtam nobis voluerit reddere manifeſtam: ipſa ipſa eſt, quæ nobis hocce offert remedium; caveamus potius, ne illo turpiter rejecto, contra illam temerarie peccemus. *Crudelitatem tamen*, reponunt, *olet, periculoſum communicare morbum illi, qui forte nunquam illum fuiſſet contracturus.* R. Debitæ ſi adhibeantur in operando cautelæ, artificiales variolæ nequaquam dici poſſunt periculoſæ, aut minimam olere crudelitatem; variolas enim artificiales comparatas naturalibus & earum ſymptomatibus quis, dixerit periculoſas? inciſionem levem, pulicis morſui fere æqualem, febrem lenſſimam, pauciſſima ſymptomata intra 24 horas evaneſcentia quis crudelitatem appellitârit? Funeſti eventus, quotquot citati ſunt hactenus ad conflandum inoculationi odium nehi-

lum

ſum probant, ſed potius craſſæ imprudentiæ nimiæque præcipitationi eorum, qui inoculationem inſtituerunt, aut necdum ad ſummum perfectionis gradum aſſurgenti methodo, aut malevolorum hominum mendaciis, ut probat TIMONIUS. ſunt adſcribendæ. Quis ſpecificam veneris domandæ virtutem damnabit Mercurii, quod ille, abſque debitis adhibitis cautelis, inter ſalivationem nimiam, ſudoreſve copioſiſſimos animam ex corpore eliminarit? quis opii laudibus detrahet quidquam, quod imprudens illius uſus multis jam ſomnum & quietem conciliaverit ſempiternam. Alteram quod concernit partem; falſum omnino eſt, communicari morbum illi, qui nunquam fuiſſet illo infectus; experientiâ enim conſtat, neminem hactenus variolas contraxiſſe, niſi diſpoſitio ad illas in corpore adfuerit: nemoque hactenus eſt inventus, qui poſt inoculationem rite inſtitutam, nullis puſtulis etiam notatus, illis unquam denuo fuerit affectus: prærogativa ſane, quâ gloriari nequeunt unquam, qui hoc morbo necdum tentati, in perpetuo fluctuant vitæ amittendæ terrore: hoc ut ſeſe liberaret, quo continuo agitabatur bonus ille ſenex ut, refert BUTINI l. c. p. 55. Londini primus erat, qui

qui ſe ſponte ſubjecit inoculationi, ut exiguo vitæ adhoc ſuperſtitis ſpatio ſecurus poſſit vivere. R. 2do cum eruditiſſimo vinconiæ in Anglia Epiſcopo ad majorem inoculationi conciliandam authoritatem; variolæ morbus ſunt fere univerſalis, cui providentia divina univerſum genus hominum ſubjicere voluiſſe videtur, & ſane numerus eorum, qui harum inſidias & laqueis præter naturæ ordinem evaſerunt, tam eſt exiguus, ut vix exceptionis nomen à lege communi mereatur; quia igitur in incognitis uniuscujusque fere hominis penetralibus periculoſus latet variolarum fomes, tutius reputandum eſt, eligere favens illum excitandi tempus, quam expectare inconſulte aliod, quo peſſimæ conditionis variolæ, & maligni moris internecino mortis genere vagantur, & aperta lethi ſpecies cuique ante oculos verſans præter expectationem ſuas nimmbus ita ſtruat inſidias, ut æquivoca malı genium occultantia ſigna, omnem remedus præcludant aditum. Inde cum D. DE LA CONDAMINE ita quæro ex adverſarius: licetne homines à morbo crudeliſſimo, periculoſiſſimo & fere univerſali, fere inevitabili præſervare communicando illis morbum leviſſimum, fere nullum dixero melius,

centies

centies millies minus periculoſum, cum exactiſſimis cautelis, ſub prudente experientiſſimi medici directione? *Quidquid ſit, non eſt faciendum malum* ajunt, *ut procuretur bonum.* Falleris, quisquis ita loqueris, neque diſtinctam concepiſti inoculationis ideam & hiſtoriam. Inoculationem malum eſſe, en hoc eſt, quod tibi probandum incumbit, quod, quia præſtare non vales, nihil agis. Aſt demus etiam hoc, quia ita vis; ſed ut æquivocationi obviam ſtatim eatur, diſtinguendum eſt inter malum morale & phyſicum, de illo intelligo axioma, illud utique faciendum nunquam; non ita ſe res habet cum malo phyſico. Malum phyſicum eſt deſtruere ædificia; & quoties id factum, ut ab incendio integra præſervaretur civitas: ſubmergitur provincia, munitiſſima deſtruuntur fortalitia, radicitus excinduntur ſilvæ, (mala profecto phyſiciſſima ſi vis) ſed quis Theologorum ita deliravit unquam, ut illud prohiberet, ſi inde hoſtium inſidiæ præcaveantur. Nunquid advenæ ex regionibus vel urbibus peſte infectis ſine ullo ſcrupulo, niſi ſponte recedant, occiduntur? num inoculatio hiſce malis, publicis etiam legibus comprobatis, comparari poteſt? *Eſto igitur*, reſpondent Adverſarii, *communicetur per nos licet variolioſum venenum; eſt quoties*

omnibus adhibitis cautelis puſtulæ non comparuerunt? nonne latens interea venenum funeſtas debet ludere in corpore humano tragœdias? Unam aſſerti tui Adverſarie quæſo cede experientiam, & victas tibi lubens porrigo manus. Tot jam inſtitutæ experientiæ mihi hucuſque funeſti detexerunt. Ergo. Neque venenum ſtricte loquendo dici poſſunt variolæ artificiales, ſed ad ſummum, ſi placet, venenum ejusmodi, cujus vires omnino ſint fractæ, quod, non invento fomite variolofo, facile per tranſpirationem inſenſibilem diſſipatur. Id quod patet ex differentia partim coloris materiæ in puſtulis contentæ, qui in principio albus, in fine vero maturationis flavus eſt: partim ex fœtore, qui inchoante maturatione magis, quam poſtea percipitur &c. *ergo*, inferunt Adverſarii, *ad ſpurionum variolarum claſſem pertinent artificiales.* R. Referas non contradicam, ad quamcunque volueris claſſem; ſed hoc obſerva diſcrimen, ſpurias regulariter non eximere à ſecundo novoque inſultu, uti artificiales. Ex dictis facile diſſipantur, quæ de ipſa materiæ inutilitate, indole putredinoſa, noxia &c. contra experientiam opponit BAUER in ſua *diſſert. Aſt infundendo virus variolofum, non timendum, ne cum ipſo fermento germen alterius morbi vel hæreditarii*

vel

vel accidentale non ſine periculo infundatur? R. non timendum. D. KIRKPATRICK cit. *in journ. brit.* 1754. p. 401. erudite diluit hanc objectionem. Reſpicit ipſe omnia morborum contagioſorum germina, quaſi totidem diſtincta à ſe invicem, ſicut diverſa plantarum genera. Materia variolosa ſpeciale hoc in ſe continet variolarum germen, quod aliud producere poteſt nihil, niſi variolas. Morbi hæreditarii alio non communicantur modo, niſi quo ſunt tranſmiſſi, de matre ſcilicet ad infantem. accidentales quoque nonniſi unico medio ab uno ſubjecto perveniunt ad alterum, cum ipſorum germen ſub ſingulari latet involucro. Concludit denique præfatus Author, non magis timendum eſſe, ne cum fermento varioloſo communicetur morbus alius, quam ſexus mutatio, ſi à puella deſumptæ puſtulæ inſererentur maſculo. Nihilominus ut chimerici hujus periculi terror penitus auferatur ex timidioſculorum animis, inoculationi ſubjecti ſunt in Anglia quidam ultimo addicti ſupplicio, quibus deſumptum ex lue venerea laborantium corpore pus eſt inſertum ſine ulla funeſta ſequela *journ. Helvet.* 1751. p. 191. *Saltem non eſt conſultum operationem hanc adornare hoc ex capite, quoniam facile accidere poſſet, ut inde cruſtas integræ,*

imo provincia tota hâc lue corriperetur propagato ubique contagio. Timorem mitte, non is ego ſum, qui ſuaderem facile ſine ratione & certis ſub circumſtantiis exercere inoculationem, niſi epidemice graſſantibus variolis, & quidem vel ab initio vel in fine epidemiæ, ubi variolæ plerumque mitioris ſolent eſſe indolis & benigniorie. *Inſtituatur*, regerunt, *igitur tempore, ut eas, quò variolæ graſſantur benigniores, nunquid tamen habitus corporis, cui illæ mediante inoculatione communicantur, in eo ſtatu poteſt eſſe collocatus, ut variolosa materia benigna, in corpore inoculati mutata, malignæ naturam induat, ſicque malignæ indolis variolæ mortem acceleranter gignantur, ſpesque omnis eludatur, & manus plane reddatur.* R. Si debitas adhibes cautelas, ſi corpus bene præparas N. Aude, nil certe pertimeſcendum *Quoties autem accidit, ut benigniores quamvis ſeverint variolæ, & harum contagio in alios fuerint propagatæ, nihilominus in malignas ex improviſo degenerarunt? quoties in iisdem ædibus, in quibus plures eodem ſanguine ſati omnes intra octiduum variolis ita fuerunt correpti, ut malignores experta quadam teterrimo hujus morbi genere conſumerentur? Nemo erit, qui ignoret, variolosum miaſma tam diverſe ſuas diffundere vires, ut faveat alus, alii*

aliis & contra crudeliſſimum & luctuoſiſſimum inferat exitium. R. De naturalibus variolis tibi ſermo eſt, bene habes: quid infers? ergo idem de artificialibus tenendum. Conceſſo antecedente, N. paritatem. Ratio diſparitatis ex utrarumque differentia, ſymptomatumque varietate ſatis ſuperque jam demonſtrata in antecedentibus eſt manifeſta. In primo præterea caſu variolæ naturales ex improviſo male diſpoſitum, maleque, vel nullo modo præparatum aggrediuntur corpus: non ita variolæ artificiales; liberatum ſiquidem à cruditatibus per opportuna remedia inveniunt ventriculum &c. vide quæſo & altâ ſemper repoſita mente tene, quæ ſunt inculcata ſuperius. Ergo. *Diverſitatis variolarum naturalium cauſæ,* obſtrepis, *nulla ſaltem in re alia quam in certa humorum croſi, prout in hoc vel in illo loco ſeſe exerit, videntur eſſe quærendæ.* Et quid inde? *imo vero, ergo, cum nemini tanta perſpicacia ingenii, aciesque judicii contigerit hactenus, ut in habitum corporis illorum, qui anceps variolarum tranſplantandarum diſcrimen ſubire haud detrectant, curatius & altius penetrare licuerit, facillimo accidere poterit negotio, ut hâc variolarum inoculatione peſſimæ notæ excitentur variolæ, ſicque ægri, quibus aut variolarum furor pepercisſet om-*

mino, aut quos eadem, humoribus conſtitutis melius, excepiſſent benignius, multo maturius, quam per ætatem licuerit, properare mortem cogantur. Inre igitur dubia tantiſque difficultatibus & eventu triſtiori ſæpius obſeſſa, nihil potius agendum, regulæ prudentiæ præcipiunt atque inculcant, præſertim cum in minimis etiam, nequid præter fas & æquum ſuſcipiat, maxime ſollicitum eſſe oporteat medicum ¶. Cum toto hoc, quo inoculatio inſtituta eſt tempore, nequidquam horum à viris fide dignissimis fuerit obſervatum, ſiculneo hoc argumento, ne latum unguem ex quieta moveri me patior poſſeſſione. Quid quæſo Theſſala illa mulier operatrix felicissima de his omnibus ſcivit, & tamen illi, fortunatiſſimo ſemper cum eventu, é voto ſucceſſit operatio. *Inoculationem valde ſuſpectam reddit diſſenſus operationis hujus patronorum in determinanda materiæ, quæ ſanguini inſtillanda eſt, quantitate; alii enim cum PYLARINO unam, alii cum LE DUC octo, rurſus cum DE LA MORTRAYE alii ſuadent inciſiones.* ¶. Fac modo quæ dicta ſunt ſupra, & nil time. Exigua puris, ſanguini inſtillata quantitas excitabit variolas, major adhuc nulli fuit detrimento, ait MAITLANDS. Non enim ut in *journ. britannq.* 1754. *p.* 112.

mors

mos de maj & de jun legere eſt, inſtilla-ta venen quantitas, ſed jam in corpore tanquam ſub foco latitans varioloſa materia in violentum coacta motum eſt accuſanda ceu malorum omnium origo. Numerus inciſionis jam eſt aſſignatus: Una inciſio ſuum edit effectum, duplex tamen præfertur. Vid. ſupra. Huc maxime facit, quod habet D. KIRKPATRICK, qui intra quatuor dies bis inoculare fecit natu minorem filiolum, eo quod crederet inciſionem unam eſſe exiguam, his non obſtantibus omnia modo in inoculatione ordinario felici terminata ſunt exitu *journ.* BRIT. l. c. *Pathologicum numeriſque ſtabilitum exemplis axioma eſt contraria contrarus curare convenit; ſed ſuo illud haud niteretur fundamento, ſi variolarum inoculatio conformis eſſet ſamoris Pathologiæ principiis: aut certe eadem modo in nephritide calculi, in podagra materia tartarea, vermes contra dolores à vermibus ortos, humanus ſanguis adverſus omnes generis hæmorrhagias, ceu totidem prophylactica ſpecifica, poſſent commendari.* q. Si calculi ſolentur nephriticos, ſi materia tartarea levamen adferat podagricis, ſi vermes ortos à vermibus profligent dolores, ſi ſanguis humanus cuicunque hæmorrhagiæ ponat obicem, quid obſtat? quin

quin prophylactico etiam illa ſcopo ſine cunctatione adhibeas? ſed cum nec ratio, nec experientia, ſicut inoculationi, tuis ſuffragetur remediis, tuum quoque erit, primum hujus rei facere periculum: ſi felix tuis reſpondeat conatibus ſucceſſus, crede primus ero, qui me horum remediorum tuique intrepidum profitebor patronum. *Saltem temerarii naturæ turbatores evadunt inoculatores, cum tamen ſana docet medicina medicos naturæ miniſtros & coadjutores eſſe oportere.* ℟. Quâ ratione probabitis viri boni, ſi nego, inoculatores naturæ coadjutores non eſſe. Fallimini fane. Fruſtraneus eſt omnis inoculatorum labor, niſi natura, ut ita dicam, parata jam ad expellendum variolaſum in corpore humano abſconditum veneoum, quaſi anxie expectet medicum, & auxiliares copias, ut a periculoſo, quem in ſinu fovet, hoſte matore liberetur. *Ergo turbatores tamen ſunt naturæ, quidquid agis.* ℟. Non aliter, imo forte minus, quam ille, qui pro incolumitate & ſalute ægroto exhibet medicinam *Num vero quis certus eſſe poteſt ſe poſt inoculationem per omne reliquum vitæ tempus immunem fore à novo variolarum inſultu.* ℟. Cum Variolæ artificiales à naturalibus eſſentialiter non differant, certum omnino inde concluditur, illos

illos, qui variolas receperunt per artem, non magis esse expositos ad illas recipiendas ad hoc vice, quam illos, qui illam contraxerunt naturaliter. Experientia insuper facta in pluribus, reiterata operatio; sed in vanum; qui semel vel una etiam pustulâ ab inoculatione rite facta est notatus, variolas suscepit nunquam. Chirurgus quidam oppidi cujusdam in Anglia, ut famam forte sibi compararet inter eruditos, publice attestari non est veritus, quendam a se inoculatum variolas contraxisse naturales; sed proprio testimonio deprehensus est, nescire, quid esset inoculatio. *Journ. brit. mois de mars & avril* 1754. *p.* 395. idem exemplum citat DE LA CONDAMINE, cui aliud æquale adjungit &c. *Vita saltem certo promitti non potest.* R. Risum mihi moves. Medicus qui tibi emeticum quodam præscribit aut catharticum, num vitam tibi certo pollicen potest? chirurgus, qui dentem evellit, an omne certo declinare potest periculum? lithotomus, herniotomus, aut alius operator suam in corpore perficiens operationem chirurgicam gravem præcipue, anne de vita te securum esse jubere potest? annon funestum aliquod accidens medici industriam & conatum potest

 eludere?

eludere? annon ex dentis evulsione, uti jam accidit, tam horrenda supervenire potest hæmorrhagia, quam nulla ars possit compescere? & quoties ex gravi operatione non occoboit homo? quid prudenter concludis inde? & si moreretis inter mille, non esset, cur angereris, fecisses, quod verosimillimum est, elegisses, quod esset tutissimum. Non possum non breviter injicere mentionem acutissimæ & verissimæ illius, quam primus fovit DE LA CONDAMINE *p.* 43. cogitationis. Quotcunque, inquit, intra 40 vel plures ab inoculatione dies ex inoculatis moriuntur, omnes ex inoculatione mortui dicuntur: sed per summam profecto injustitiam; quis enim nescit fragilem humani corporis machinam tot morbos expositam esse occultorum, & ne à sagacissimo prævidendorum accidentium, ut ne momento quidem de vita securi esse queant miseri mortales: quomodo tam imprudenter exigere potes ab illo, qui tibi communicat per inoculationem variolas, ut pro vita tua audacter respondeat? intra annum, intra mensem, forte intra septimanam fatis cedes, sive inoculationi te subjicias, sive illam repudies, nec, crede mihi, si statuta à vitæ & necis moderatore hominibus semel moriendi adve-

nent

nerit hora, fatale mortis tributum propterea effugies, quia inoculatus. Contra vim enim mortis non eſt medicamen in hortis. Vides ex hoc L. B. quam inique agant cum inoculatoribus antioculatores. Ea fere recidunt, quæ tenera in proles parentum affectio movet argumenta. *Quomodo*, inquiunt, *filiorum ſuorum amantiſſimo perſuadebis patri, ut proli unicæ deliberato animo communicare permittat morbum, qui mortis cauſa poteſt exiſtere. Leve eſt*, pergunt, *quod incurrere periculum dicis inoculato; aſt moriatur inter centum, inter mille etiam inoculatos ſi vis unicus, & fatalis ordo meum tangat filiolum, quis inde dolor, quæ lacryma, quas læſæ conſcientiæ remorſus?* ℞. Cum illuſtri DE LA CONDAMINE, qui p. 50. ample de hoc argumento diſſerit, ſi parens ordinato ſuos proſequatur filios amore, profecto hæſitare ne momento quidem debet, ut proles ſuas majori eripiat periculo: id quod facili negotio nunc ſum demonſtraturus, & ſpero, fore, ut quisquis ab omni præjudicio liber, quæ modo ſum dicturus, examinaverit, in eandem ſine mora mecum diſcedat ſententiam: indubitatus ordinatæ parentum in liberos charitatis eſt canon, ut omne ab iis avertere allaborent periculum, quod, ſi avertere nequeant, fal-

tem

tem quantum poſſibile diminuant, ergo & inoculationi quantocyus ſubjiciant. Conſequentiam negas. *Prob.* Variolæ naturales morbus ſunt fere univerſalis, tantâ periculoſorum ſtipatæ ſymptomatum ſyndrome, ut ex 100 v. g. illis naturalitee affectis vix evadant ad ſummum decem. Cum é contra ex 100, ſubinde 1000, qui artificiales contraxerunt, vix pereat unus. Ipſe nunc judica, ubi minus periculum, an in naturalibus an vero in artificialibus variolis: in his utique, ſi ſapis, dices. Infero: ergo hoc medium amplectendum, ergo variolæ ſunt inoculandæ. Allatam cape & perpende à DE LA CONDAMINE ſimilitudinem: binæ tibi præſentantur ollæ fortunæ, in alterutra ſortis periculum facere teneris abſolute. In olla prima inter 1000 e. g. ſchedas media pars funeſta. In ſecunda inter mille 20. 30 ſunt notæ peſſimæ, quid agis? vel incumbit tibi neceſſario rapidiſſimum & profundiſſimum tranſmittere fluvium, cum evidentiſſimo, ſi nates, periculo; offertur tibi interim navis, aliquale quidem eſt diſcrimen ſubeundum, ſed millies minus, quam in caſu priore. Quid eligis? *melius*, inquis, *non tranſire*. Rides me, neque ſtatum concipis quæſtionis: non hic agitur, quid melius. Eligendum neceſſario unum ex duobus. Tam univerſales variolæ naturales, ut pri-

vile-

vilegiatorum numerus vix formet exceptionem: transeundus est fluvius; longâ experientiâ constat inter septem nandi etiam peritissimos, unum ad minimum saltem à torrente abripi, qui navem conscendunt sæpe inter mille, vix unum. Elige nunc & applica, judicaque, an melius sit naturæ solvere decimas, quam arti millesimas. De omnibus his vide citat. TIMON. PYLARRINUM. MAITLANDS. VATERUM. DE LA CONDAMINE. BUTINI. JOURNAL BRITANNIQ. *Ann.* 1754. *mois de mars & d'avril, p.* 382. *seq. de Mai & de juin p.* 105. *seq. Journal Helvetiq. Ann.* 1751. *mai. p.* 425. *seq. juin p.* 536. *Aoust p.* 147. 171. *septembr. p* 307. *Ann.* 1754. *septembr. p.* 247. Ego interim, ne L. B. patientiâ abuti velle videar, Ratione, experientiâ, & authoritate convictus VARIOLAS IN NOSTRIS ETIAM REGIONIBUS INOCULARE CONSULENDUM ESSE

CONCLUDO.

99 93708